PROSPERI ALPINI
DE MEDICINA AEGYPTIORVM
LIBER PRIMVS.

De statu Aegyptiorum medicorum. *Cap. I.*

GVILANDINVS, ALPINVS.

CVm hæc dies serenissima iam illuxerit, & opportune nos in hoc viridario simul concesserimus, locũ secretioris huius recessus quietissimũ, opportunissimamq; occasionẽ nacti, de medicina Aegyptiorum iam aliquid cõmentemur, de qua quidem prius quã agamus, à medicorum, quibus ea regio abundat, narratione principium faciemus. ALPIN. Iam iã è via huc ueniendo, eminus te in viridario ambulantem, profundeq; cogitantem prospexi, & haud parum miratus sum, quod tam diluculo è lectulo surrexeris. Neque tamen ab re credo, in uiridariũ descendisti, ut frigidiuscula scilicet istac aura matutina, ac nõ minus istius elegantissimi tui uiridarij amænitate aliquantulũ te recreares. Sed ne tuum loquendi desiderium amplius oratione mea retardẽ, ad principium propositi tui sermonis iam iam descẽdo. Sed quid obsecro me de medicis Aegyptijs dicturum arbitraris? an quia multis persuasum est ibi medicinam primas habuisse radices, plurimosq; illustres uiros tũ in medicina, tũ in alijs sciẽtijs olim in Aegypto floruisse, ijsdẽ etiã hac tẽpestate ornari regionẽ illã ac florere? GVILAND. Quid ni oẽs istud ipsum sentiãt? quãdo vsq; adeo etiã ibi bruta multa animalia reperiantur,

riantur, quibus ars insita curandi morbos aliquos existimetur? quemadmodum de Hippopotamo equo marino in Nilo flumine degente apud quosdam legitur. Hunc enim equum in quadam medendi parte etiam magistrum esse aliqui affirmant. Assidua namq; ipse, ut aiunt, ingluuie & sacietate obesus, exit in litus, recentes indagaturus harundinum cæsuras, atque ubi acutissimum earum stipitem cernit, id in corpus adigens, uenam quandã sibi in crure uulnerat, atq; ita profluuio sanguinis excitato morbidum aliàs corpus exonerat, mox plagam rursus limo obducit. Quamobrem sunt, qui arbitrantur, missionem sanguinis ab huiusmodi animali homines didicisse, ueluti etiam à uolucre quadã Ibi uocata apud Nilum quoque nascente clysteriorum vsum accepisse. Quod ipsam sæpius sibi aluum exonerasse rostri aduncitate aqua per anum intromissa sæpe sit obseruatum. Si itaque bestias ipsas in ea orbis parte natura medicinam docuisse creditur, quid de hominibus erit ratione ac discursu præditus existimandum? Atque eo magis cũ priscis ijs sęculis Aegyptus plurimis doctissimis medicis semper floruerit? A LPIN. Hippopotamũ & alia bruta animalia, de quibus ea medendi miracula prædicantur, ibi reperiri certum est, at quod ego de hominibus medicinam profitentibus hisce annis obseruarim, in medium nunc tibi proferam, paucisque narrabo, quæ ex his scitu digna mihi fuere uisa, ac primum dico, Cayri alijsq. in locis Aegypti plurimos tum uiros tum mulieres reperiri, qui publice per vrbem medicinam faciunt, non tamen vllos existere, qui hanc artem aliqua ratione atque Hippocratice faciant. quando ibi nunc non literis, sed armis opera ab his populis detur: neque id quidem mirum, cum Turcarum imperio ea gens subiecta sit, qui nullis scientiarum studijs delectantur: armis tantum, auro argentoque & veneri indulgentes. de quibus vere videtur Seneca dixisse:

„ Turpis libido dominatur (scilicet nunc) potens venere
„ Luxuria victrix orbis immensas opes.
„ Iam pridem auaris manibus, ut perdat, rapit.

Deest illis studiorum exercitatio, quamquam publicas scholas, siue studia ipsi habeant, in quibus uaria scientiarum genera docentur; Cayri studij locum Gemelhazar appellant, pro quo tercenta millia aureorum anno quolibet dissipari aiunt. Siquidem ibi totius Academiæ sumptus ad libros, ad victum & ad reliqua

docto-

doctoribus & scholaribus necessaria quotannis ære publico suppeditantur. Ex omnibus vero scientijs, atq; artibus, quæ ibi docentur, ea sola pars theologica apud ipsos colitur, quæ Pseudoprophetæ Mahometis leges, institutionesque pertractat. Multi siquidem, propemodumq. infiniti sunt, qui honoris atq; vtilitatis gratia in eiusmodi scientiam incumbunt, quam qui adepti sunt in summo pretio atq. honore apud Turcas, aliosq. omnes habentur. Hos Cadi appellant, quasi dixerint, sacrę legis doctores, quos Turca illius regionis præfectus suos quoq. iudices creat, quibus authoritas concessa est, vt possint quacunq. de re in iure ciuili, ac pontificio iudicare. ob quam rem ipsi tum in summa veneratione habentur, tum maximas parant opes. In alijs vero artibus atque scientijs perpauci sunt, qui perfecti fieri studeant, omniumq. minime in arte medica, quæ cum alijs omnibus ferè in locis summo dignitatis gradu sit, infimum nunc atq. vilissimum tum ob gentis barbariem, tum ob eorum, qui per vrbem medentur ignorantiam locum tenet. quam nisi hinc ex Europa per Venetos Consules conducti medici, curandis ibi Turcarum, Arabum, & aliarum gentium optimatibus, & quamplurimis, quos alij medici desperata salute reliquerant, ad valetudinem reductis extulissent, atque illustrassent, omnium mechanicarum artium ignobilissima apud Aegyptum iacuisset, id autem diligentia vt dixi nostrorum reparatur. Illi vero cum ab omnibus contemnantur, tum etiam lucrum ipsorum exiguum est. GVILAND. Cum medici illi ita negligantur, neque multum lucri faciant, quæ occasio erit, qua ad medicinam valenter perdiscendam illi moueantur. Non est igitur mirum inter illos paucos perfectos medicos reperiri. Quod cum explicatum à te sit, nunc reliquum est præterea nihil, nisi vt susceptum de medicina Aegyptiorum sermonem claudas, ac de alijs rebus loquaris. ALPIN. Quamobrem? GVILAND. Quoniam ex indoctis medicis, quid boni, ac scitu digni ex te obseruatum audire possum? ALPIN. Intelligo vnde tu in eam deueneris sententiam. Sed hoc fortasse non est ita existimandum, quando scientia atque doctrina ignaros homines Empirice tamē multa in arte secreta posse dignoscere, quis negabit? qualia sunt multa medendi secreta auxilia summam ob vtilitatem nobilissima, apud Aegyptios priscos medicos olim inuenta, hæreditarię potius ab alijs præclarissimis medicis his relicta, quàm aliqua doctrina ab

ipsis acquisita. Quid etenim, vt tibi de multis aliqua proferam, non ne mirum in modum laudandus esset ille mittendi sanguinis Aegyptiorum vsus ex sectione multarum venarum, quæ nostris medicis minime sunt vsitatæ? quales sunt iugulares, narium, angulorum oculorum, frontis, post aures, poplitis atque aliarum multatum corporis partium. Quis etenim medicus is erit, qui nesciat, illarum venarum sectionem ad quamplurimos tollendos morbos esse vtilissimam? Quid dicam de sectione arteriarum, quam ad mittendum in multis morbis sanguinem non minus tutò, quàm in venis ipsi familiarissime vsurpant. Cum Galenus interim ijs sectis quasi miraculo multos sæuos morbos curatos nobis scriptum pluribus in locis reliquerit. Quid de aurium, colli, occipitis, labiorum, narium, atq; malleolorum scarificatione dicemus? Cum ipsi mirabili dexteritate hoc genus auxilij præstent. Et quid de suarum cucurbitularum vsu ab hoc nostro planè diuersò? Quidq; de vstionum ratione, atq; de multis alijs ferme infinitis, quibus ipsi medendo vtuntur, medicis præsidijs, deq; etiam quam plurimis medicamentis simplicibus; ac compositis ab his multa cum vtilitate frequentatis, erit iudicandum? GVILAND. Dignaistæc mihi videntur, vt ab omnibus doctis medicis desiderentur, mirumq; omnibus videri debet, quo pacto hi indocti homines tot, tantisq; nobilibus auxilijs recte vti sciant, nullo ea discursu ac medicæ artis ratione cognoscentes. Sed quo ordine his medicis per eam regionem exercere medicinam permittitur, quando ita artis medicæ dogmatum ignari existant? ALPIN. Extat Cayri inter cæteros medicos omnes quidam Aegyptius, quem Achimbasì illi appellant: qui medicorum princeps nostra lingua interpretatur. Huius officium est, illos, qui ibi medicinam exercere velint, de illiusce artis peritia sedulo percunctari, & examinare, atq. eis, qui in medendi examine recte responderint ac recte sc gesserint, publica fide concedere, vt per eam regionem mederi impune possint. Istud autem in doctorum numero asciscendi munus non datur multis, vt in multis Europæ locis fieri solet, sed vni soli tantum, illiq. præsertim, qui plus auri argentive Præfecto Cayri, quem Bessa appellant, hac de causa soluerit. Parum etenim id curat hoc tempore Bessà an ille, qui Achimbasì procreandus est, sit ad illud munus rectè obeundum probè idoneus, adeo nunc apud illos omnia corrupit auaritia; non hoc inquam ille curat,

sed

ſed an potius aureos multos ipſi offerat. Eodem exemplo & ipſe Achimbaſsì etiam à Præfecto perdoctus eodem auaritiæ vitio ſublatus, pretium à cooptandis accipiens, omnes indiſtincte cum indoctos, tum doctos mederi per vrbem ſinit. Qua facilitate numerus tum virorum, tum mulierum medentium in ea maxima urbe Cayri eſt ferè infinitus, cum quiſq; exhibito auro poſſit ab Achimbaſsì medendi authoritatem obtinere. Horum vero, qui per eam vrbem medentur alij promiſcue morbos omnes curare profitentur, alij partis alicuius tantum mala. veluti ſunt ocularij, qui omnes morbos ac ſymptomata oculos lædentia, ſanant. & dentarij, atq; auricularij, tantum malis dentium auriumq; medentes. atq; alij qui tantum inteſtinorum ægritudines, alij pudendorum, alij veſicæ & alij vteri curant; in quibus morbis mulieres medicæ viris præferuntur, exiſtimant enim ægrotę mulieres haudquaquam poſſe viros ſic recte vteri affectus cognoſcere, vt mulieres ipſæ. Quare fit vt ægrotæ medicas potius, ut à ſuis morbis curentur, quā medicos adhibeant, ſunt etiam alij qui tantum febres ſanant, quorum alij omnium, & alij aliquarum tantum curationem profitentur, atq; hæc obiter dicta ſint de medicis Aegyptijs.

Aegyptij qualem nunc medicinam exerceant. *Cap. II.*

GVILANDINVS.

INTELLEXI probè omnia, verum id à te ſcire cupio, quid eſt, quod omnes medici Aegyptij Empirici exiſtant, ſectamq. Empiricam ſequantur. ALPIN. Vt per eos annos, quibus Cayri moram traxi, obſeruare potui, potius methodicæ ſimulq. empiricæ ipſos addictos iudicaui, quando ad indicandam morborum curationem partium læſarum, cauſarum, naturæ, ætatis, virium, habitus cœliq; obſeruationem eſſe neceſſariam negent, quibuſdamq; medendo vtantur communiſſimis propoſitionibus, quæ methedicorum ſectam referre videntur. Ipſi etenim affirmant omnia morborum genera, vel à caliditate, vel à frigiditate oriri; uel morborum omnium præcipuā cauſam in calorem præter naturam, vel frigiditatem referunt: Quoniam vero

ipsi arbitrantur eorum omnium, qui Aegyptum incolunt, corpora ratione cœli, sub quo viuunt, valde calidi, ad summam vergerè caloris intemperiem, ob id perfrigerantium medicamentorum vsum in omnibus ferè morbis sine discrimine habent frequentissimum, illisque temerè & inconsultò medendo vtuntur. Obseruare sedulo se putantes famosissimam, vulgatissimamq; in schola medicorum illam propositionem, quę est, contraria contrarijs curari; Hincq; credentes ob illiusce cœli summe calidam temperiem, ibi omnes ferè morbos, vel primo ab ea, quæ præternaturam est, caliditate procreari, vel saltem semper cum alijs causis præternaturalem caliditatem concurrere, ob quam causam vsum refrigerantium medicamentorum maxime affectant, idq; prę sertim in febribus: in quibus absq; ullo delectu, valde frigidis medicamentis semper vtuntur, maximeque in ijs, quę ex humorum putredine oboriuntur. Quod sanè contra medicinę dogmata ab ipsis fieri existimo. Nihil enim frigidorum remediorum vsus, quantum ad febrium causas, quæ sunt obstructiones meatuum, venarum, vel aliarum partium, spectat, aliquid prodesse, & multum obesse potest, cum a frigiditate humorum eruditas, atq; obstructio augeantur, maxime vero quando pituitosi succi sunt obstructionis auctores. Tales enim humores ab vsu frigidorum incrudescunt magis, & crasse fiunt magis, & ipsorum copia, ventriculo frigidiore atque ad concoquendum ineptiore ab eisdem effecto, peraugetur. quam vero sint illa refrigerantia medicamenta ab ijs frequentata posterius suis locis dicemus. GVILAND. Malus mihi quoque ille in medendis putridis febribus valde refrigerantium vsus esse videtur, quando nemo rationalium medicorum, quorum sectam omnibus præferendam iudico, ignorat, obstructiones venarum, aliarumque partium in febrientibus à multis succis, vel crassis, vel viscidis, fieri, & à multa frigiditate ipsas adaugeri. Galen. in synochis putridis febribus, vt apud ipsum in libro nono, meth. medendi legitur. ea laudauit medicamenta, quæ obstructa liberandi vim haberent, absq; multo tamen calore, ne calor febrilis augeatur. ob idque eligenda illa esse, quæ exiguo calore prædita, id tamen præstare possint. Hincq; in tollendis obstructionibus vsum oxymellitis summopere commendauit. Aegyptij vero fortasse ita frigidis in ijs febribus vtuntur medicamentis, quod hæ ex biliosis tenuissimisque humoribus

ortum

ortum maxime ducunt, qui non attenuandi sed incrassandi sint, vt Auicennæ assectæ affirmant, hancq; fortassè ob causam illi medici frigida medicamenta adhibent, vt ex quibus genita febris fuit, biliosi, tenuissimiq; humores crassiores euadant, ad facilioremque excretionem eo modo parentur. Hæc erit igitur ratio quamobrem frigidis adeo medicamentis vtantur. ALPIN. Si tu corpora illorum hominum quali temperamento sint, rectè nouisses, in hac proculdubio sententiam non venisses, nam, vt suis locis dicam, omnium ferè illa loca habitantium corpora diuerso constant temperamento, quòd aliquis cœli illiusce ratione, credere posset, quando pleraque illorum corporum licet ex sui natura sanguinea existant, multa tamen pituita, etiam ex victus ratione apud ipsos vsitata, abundare dignoscantur. Quamquam enim Aegyptij in ipso ortu interna viscera valde calida sub calidissimo cœlo susceperint, ex potu tamen aquarũ, vsuq; continuo ciborum tum frigidorum tum refrigerandi qualitate magna ex parte præditorum, quibus ferè semper vtuntur, ab immoderataq; venere, atque ab vsu dulcium balneorum, quæ assidue frequentant, temperamentum illud calidum paulatim permutant in minus calidum, & tandem in frigidum, itaq; fit, vt qui bilioso nascuntur temperamento, in sanguineum mutentur, & qui sanguineo in pituitosum. Hincq; quamplurima fœminarum, mariumq; corpora ibi reperiuntur pinguissima, cum tamen cœli calidissimi ratione corpora omnia gracillima esse potius deberent. ex his igitur omnibus illorum corpora refrigerantur. Quo fit, vt omnes eius regionis accolæ stomachum valde frigidum contraxerint, licet ipsi corporis habitu carnoso, boniq; succi, constare etiam obseruentur. Huius autem facito ex me coniecturam, qui prius quàm Aegyptum adijscem, cum gracillimo corpore summeq; calido essem, ibi ex assiduo aquæ potu, cui ob illos vehementes calores continuè indulgendum erat, carnosum effeci corpus & pingue. quo tempore stomachus adeo erat ad frigiditatem conuersus, ut eius concoctrix facultas ad conconquendum imbecillior effecta sæpe videretur, quam ob causam sæpe acidis cruditatibus vexabar. Quod si mihi id acciderat, homini medico, & in temperata regione genito, quid de Aegyptijs ipsis existimandum, qui non solum aquam pro potu affectant, sed omnes frigidos cibos, quiq; immodice veneri dant operam vsumque dulcium balneorum frequentant? quæ omnia refrigerandi

facultatem habent; nisi illos crudis multis humoribus abundare? Quod confirmare videntur assiduæ ventriculi cruditates in quas ipsorum quamplurimi incidunt, frequentissimiq́ue articulorum dolores, qui continue sparsim per urbem vagantur, ac mulieres, Eunucos, & omnes absq; discrimine inuadunt ac affligunt. Ex his igitur colligo Cayri rarissimas febres ab exquito humore bilioso gigni, plerasq; verò à crudo ac pituitoso excrementorum genere. ideo arbitror vsum refrigerantium medicamentorum ijs febribus non rectè conuenire, ob illorum humorum, à quibus generantur tenuiorem substantiam, vt Arabes medici volũt, crassefaciendam, quando eos potius crassiori substantia constare quàm tenui ex nuper allatis optime pateat. Non erit itaq; frigidorum medicamentorũ vsus in febribus putridis ibi vagantibus omnino tutus, sed sæpe ijs noxius. Illi igitur medici quod ad febres compescendas attinet, probandi quidem essent, scilicet, vt illum febris socium calorem extinguant, pessime vero faciunt quòd febrium causas minime auferant. Ac potius ipsos dixerim medicinæ adulatores, quando solum ægrotantium, caloribus, doloribus, siti, occurrere, symptomataq́; solum demulcere studeant: perfectam vero curationem, quæ Galeno docente in lib. 9. meth. med. à causis exorditur, negligant. Accidit tamen aliquando, vbi febres vehementiores affligunt, in caloribusq́ue hecticis, vt recte frigidorum medicamentorum vsus administratus videatur. GVILAND. Mendosam satis illos possidere in medendo artem methodicam ex his à te narratis intellexi, quam etiam empiricam esse facile perspicitur, quod ea quæ in hac arte nouerunt, potius hereditarie à maioribus tradita, acceperint, atque in ipsorum memoria remanserint, quàm vllo discursu, uel ratione fuerint ab ipsis cognita.

Quamobrem hoc tempore Aegyptij artem medicam habeant vitiosam. Cap. III.

ALPINVS.

DIXIMVS Aegyptios medicos nostro hoc æuo non exercere rationalem, uel dogmaticam medendi viam, sed vitiatam, ac multis mendis plenam. GVILAND. Quo

nam

nam modo est ibi vitium istud in medicina contractum? ALPIN. Scito hoc tempore medicos illos finem habere non sanitatem ægrotantium, quem veri medici semper intuentur scopum, sed ut gratiam atque obsequium hominum comparent; ita vt nunc ibi locum habeat illa sententia:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Hos medicos Gal. adulatores appellat, cum haudquaquam id ipsis sit cordi, quemadmodum ægrotis recte, ac tuto medeatur, sed potius quomodo eorundem delitijs inseruiant. Respicit itaque ipsorum medendi methodus ægrotorum gratiam, atq; obsequium. & ob hãc causam victum ęgrotis gratum instituunt, omnibusq; febricitantibus, ac sitientibus permittunt, vt quantum volunt, aquæ potu se expleant, fructusq; in victu quoslibet ab ægrotis expetitos non negent, affirmantes, nihil à natura appetitum posse ægros offendere, quando naturam ipsam tutius, ac prudentius ad corporis tutelam moueri, quàm medicos, affirmandum sit. proinde multi ægrotis febrientibus non verentur in uictu concedere angurias, cucumeres, cucurbitas, melones, ficus, atque alios quoscumque ibi habere possunt fructus, & vt vno verbo dicam, omnia concedunt ægrotis, quæ grata illis esse cognoscunt. De medicamentis itidem hoc idem obseruant, vt tantum illa medicamenta ad sanitatem parandam adhibeant, quæ ab ægris non abhorrentur, eaq; tum qualitate, tum copia seligunt, quę nullo pacto corpora ægrotantium agitare possint. ob idq; maxime in communi sunt vsu, ad quoscumq; propulsandos morbos, huiusmodi medicamenta, manna scilicet, cassia, tamarindi, syrupus de granatis solutiuus, atq; rosatus. non excedunt q; mannę, cassiæ, tamarindorum vnciam, sæpissimeque ęgrotis hæc offerunt, alij singulis, alij alternis, & alij pluribus diebus offerentes. pluribus etenim uicibus eam purgationem præstant, quod nos vnica vice facere consuescimus. Ex purgantibus vtuntur, myrabolanis, Rhabarbaro, agarico, sena, atq; alijs huiusce generis multis, quorum dragmam in singulos haustus non excedunt. hicque modus purgandi inter plerosq; ciuium ac nobilium exercetur, atque in hoc se rectè gerere videntur, dum cauent à validioribus, scamoneatisq; pharmacis, in ijs purgandis corporis. Sunt tamen alij qui rusticis medentur, cum ijs vero prętualidioribus purgationibus agunt, sed, vt dixi, non nisi in rusticis. Mirumque non erit hosce medicos his

medi-

medicamentis potius lenientibus, quàm purgantibus vtentes, tardissime ægros sanare, id autem ea causa faciunt, ne purganda corpora nimium ab ijs agitentur, atque perturbentur: ob quam causam plerique clysteribus medentur, potius quàm medicamentis per os assumptis, vt quàm minime corpora agitent. In materia quoque chyrurgica eodem modo ęgrotorum obsequia sequuntur, hincque multum sanguinis omnibus detrahunt, quod omnes missione sanguinis lętentur. id uero sæpe in multis, etiam à cibo, vt multis obsequantur, qui aiunt ieiuno stomacho ęgrotis non conducere id auxilium, quod nimium vires absumat. Et in omnibus denique medicamentis eodem semper spectant, vt quàm maxime ęgris obsequantur. Gviland. Adulatores medicos non solum Aegyptus habet, sed non minus multa Italię loca, in quibus multi ignari homines eos optimis quibusque medicis ea causa præferunt, quod obsequantur sibi, idque tantam vim ad capiendos ægrotorum animos habet, ut plurimi sæpe ab ignaris atque adulatoribus medicis vsque ferè ad exitium perducti, neque tam grandes illorum in medendo errores agnoscant, neque si etiam agnoscant, ab his discedere velint. Sed quamobrem medici illi olim pręstantissimi ad medendi modum hunc vitiatum accesserunt? Alpin. Hic corruptus medendi modus non à priscorum illorum medicorũ ignorantia principium duxit, sed vt ex Aegyptijs historiarum peritis audiui, à barbara priscorum Aegypto imperantium tyrannide; tempore enim quo Mamaluchi illiusce regionis obtinebant imperium, omnia ea loca medicis doctissimis florebant, qui dogmatice summaque cum ratione medicinam faciebant, sed tanta erat ea in dominis barbaries, vt optimi illi doctissimique medici, vel rebus bene gestis sępe lucri loco ab ijs contumelijs afficerentur. Barbara etenim ea progenies, quę moribus bestijs erat simillima, quod originem duxerit à Tartaris rusticisque, rectam ac rationalem medendi methodum non admittebat. Illorum aliquis dolore aliquo correptus non secus quam furiens bestia subitò ut sanaretur imperabat, quod cum non semper ita citò eueniret, pessime miseros eos medicos tractabat. Idem obseruabatur in illos qui sitientibus ipsis plurimam crudam aquam in potu negabant, uel à calore febrili valde detentis frigida balnea prohibebant, in quibus immergi uolebant, & ijs multum refrigerari. si tormina ab assumpto aliquo pharmaco sentiebant, vel multum eo purgaren-

tur,

tur, vel fastidiose vomerent, in medicos iurgia, & contumelię, miseros Aegyptios, qui fato quodam semper Tirannis subiecti fuerunt. Illi itaque optimi medici rectè medicinam exercentes indigne has contumelias ferentes, modum sanè per quam facilem in medendo inuenerunt, quo barbaris ijs hominibus satisfacerent, atque perpessas iniustè obiurgationes ac contumelias vindicarẽt, ac de illorum tyrãnide in ipsos exercita hoc modo pęnas sumerent. GVILAND. Piget me tantorum medicorum iniuriarum, sed mirum non erat, eos ita à barbara ac ferina ea gente contumeliose pati, quando virtuti vitium, & sapientiæ ignorantia opponatur. Ab illorum enim barbaro dominio illis sæculis non solum medicinam, sed etiam omnes aliàs scientias ab Aegypto in alias orbis partes commigrasse existimo, atq; ideo nunc Turcarum loca studijs scientiarum omnino vacare. Sed perge modum enarrare, quo ad fugiendas & vlciscendas illorum contumelias vsi fuerunt. Si quidem haud parum esse iudico, homines illos in tanta calamitate positos, viam inuenisse, qua id periculi effugere potuerint.

ALPIN. Tunc hac ratione mederi eis cæperunt, hæcq; fuit ab his indagata methodus; Namq; eis ægroto curando proposito, primo quo ille morbo, vel miti vel magno vexaretur, atque quibus symptomatis corriperetur, eaque mitia ne an magna essent, scire operam dabant: quibus rectè perspectis ac cognitis, omnes curationis indicationes præcipue considerabant, hinc morbos tantum atque symptomata respiciebant, causis omnino neglectis, uel leuissime cognitis. morbo enim, si symptomatibus ijs vehementibus careret, contrarijs mederi omni ratione studebant, veluti exempli gratia, febre vexato, absque multis grauioribus symptomatis, victum primo frigidorum atque humidorum instituebant, quem penitus morbum extirpare, ijs ignaris bestijs facile suadebant, proinde omnes fructus, qui humidi essent ac frigidi eis collaudabant, ut sunt angurię, cucurbitæ, cucumeres, poma, & ex oleribus beta malua, bammia, colocassia, lactuca, endiuia, sancus atq; alia huiuscemodi temperamenti ac facultatis multa. Pro potu frigidissimam quamcunq; aquam, largissimeq; ad ęgrotantium libitum, concedebant. In materia uero chyrurgica in quacumque febre, quod omnes illos barbaros ad largam sanguinis euacuationem inclinatos admodum cognoscerent, multum sanguinis detrahebant. Et ex medicamentis alterantibus ea laudabant,

bant, quę refrigerarent, atque humectarent, atque de purgantibus, euacuationem per epicrasim, lenientibus medicamentis, à quibus nihil Barbarorum corpora turbarentur; moliebantur. Febris vero omnia symptomata demulcere vel omnino abigere studebant, calori enim æstuoso interne frigidis aquis, vel syrupis, vel decoctis, vel fructibus, & frigidis epithematibus occurrere, conabuntur, sitientibus quantum uellent ægrotis aquæ permittentes, inappetentijs, quoscumque cibos ab ęgrotis expetitos concedentes, vigilijs, valide somnum prouocantibus, qualia sunt opiata omnia, obsistebant, dolores vehementes tollebant, ijs medicamentis quæ insigni frigiditate partium sensum adimunt, qualia sunt stupefacientia a nostris appellata, atque sic in singulis alijs febrium symptomatibus facere cœperunt. hicq; fuit modus curandi quo ęgrotos blandè curare se aiebant, eosque medici illi suo gladio iugulabant, verique inde facti sunt medicinę adulatores, vt illorum tam importunam effugerent tyrannidem, atq; miseriam, quando ægroti obsequij vi arbitrarentur rectè à medicis illis tractari. Ortusq; est malus is medendi modus ab Aegypto imperantium tyrannide, quem postea omnes alij qui consequuti sunt medici rectè obseruarunt, mortuisq; doctissimis ijs medicis, simulque cum ijs huius artis doctrina, postea paucissimi reperti fuerunt literarum studijs dediti; siquidem dominorum ob barbariem literarum professoribus inimicam, academiæ, ac studendi commoditates defecerunt, eaq; causa studentium etiam numerus defecit, omnino prę-sertimque in philosophia & medicina, indeque Aegyptus expers scientiarum, literarumq; professorumq; tunc facta est. Deindeq; ille medendi modus, iam multis ætatibus ibi frequentatus, ac per illas vrbes receptus, alijs omnibus medicis, qui posteà fuere, communicatus fuit, neque difficulter ab ijs perdiscebatur, cum pauca quadam tenenda essent. Hic igitur modus medendi, quem illi homines assecuti ibi optimi medici existimantur, tale principium habuisse, à multis dicitur. In eo vero sicuti multa corrupta, atque arte Hippocratica indigna obseruantur, sic multa etiam ueram prę-clarissimorum medicorum antiquitatem redolentia reperiuntur, quæ digna sunt ob egregiam quam præstant in medicina vtilitatem, ut ab omnibus doctissimis medicis audiantur, atque per discantur. In qua vero parte medicinæ istæc eluceant, nuper dictum est, & inferius qualia particulatim existāt, suis locis dicemus.

Sed

Sed priusquam ad ea accedamus, multa prius erunt cognoscenda quæ ad maiorem clarioremque dicendorum cognitionem facere videntur. atque in primis, ne tempus frustra conteramus, considerandam tibi viro doctissimo eam propositionem propono, quam illi medici mordicus obseruare medendo creduntur, quæ est, contraria contrarijs curari. Quam propositionem vel mulieres ipsę medicinę & rerum omnium ignaræ perbelle ibi se putant obseruare.

Apud Aegyptios medicos medicam illam propositionem vsurpari, quæ est contraria contrarys curari, atq; an ipsi eam rectè obseruent. Cap. IIII.

GVILANDINVS.

CVM Aegyptij in medendo vtantur ea propositione, quę est, contraria contrarijs curari, videntur hac in re non omnino carere rationali medicina, quando ea quoque omnes rationales medici ægrotis medeantur, morbos curantes ijs medicamentis, quæ ei sunt contraria. vt Gal. in lib. 11. meth. cap. 12. testatum reliquit. Quamobrem & illos, qui posito hoc principio medicinam ibi faciunt, ob id inter rationales medicos esse recensendos, aliquis assereret. ALPIN. Huic medicæ propositioni non modo eius loci medicos inniti, sed ipsas etiam mulieres, certum est. quinimo Cayri si volueris tertianam notham febrem, agrimonio, apio, vel petroselino, vel chamedrio, vel alijs curare, vt obstructiones, à quibus oritur, atq; fouetur ea febris, auferantur, non modo medici, sed mulieres inclamabunt non esse id faciendum, quando febris, quę calidissima est in temperies solis refrigerantibus remedijs curari debeat, quibus medicamentis calida intemperie præditis potius febris augeretur, nedum tolli posset. hanc igitur ob causam ea vituperant, atque suspecta habent, quę superius aperientia narraui: quę licet morbo similia videantur, tamen eius causis contraria existunt, quibus sublatis febris tollitur, ijsdemq; perseuerantibus nunquam febres illę finiuntur, idcirco dicenda sunt illa eadem medicamenta per hunc modum mor-

bo

bo contraria. Neque tamen eò quod medendo vtantur ea quam dixi communitate, rationales appellandi sunt medici. Tibi enim doctissimo viro notissimum est, methodicos tantum appellatos medicos vsos fuisse ijs communitatibus, qui neque locum patientem ad curationis indicationem aliquid prodesse autumarunt, neque causam, neq; ętatem, neq; tempus, neq; cœlum, neq; virium robur, neque ęgrotantis habitum, neque temperamentum, sed à solius affectus indicatione remedij indicatione sumpta, ea communitate febrem exempli gratia nuper in medium propositam curant. Sed errant in cognoscendis morbo contrarijs remedijs, Namque putridę febres quę ab obstructionibus genitæ sunt & fouentur, vt rectè curentur, debemus vti ijs quę tum morbo, tum causis sint contraria, qualia sunt quę refrigerant, humectant, aperiunt, atq; abstergunt, quibus sanè si obstructiones cedant, febris proculdubio tollitur, ijsdem vero ob humorum lentorem & crassitiem curationi obsistentibus, atq; non cedentibus, contraria valentiora prioribus requiruntur, scilicet quæ maiorem vim habeāt obstructa aperiendi, vt propterea, quod omnia valenter aperientia calida sint, ad calida sit deueniendum: vbi vero causę febriū putridarum haud admodum curatu sunt difficiles, sufficient ea quæ tantum sunt morbo contraria, quę simul aperiendi vim habeant, & vbi causę non facile cedunt, morbo similibus, quo ad caliditatem, & causis contrarijs, quod ad aperiendi facultatem vti debemus. At in febribus quę causis coniunctis vacant, vt sunt hecticæ ab ephemeris, vel putridis febribus genitæ, medici solis morbo contrarijs vti debent: ambobus vero tum causa tum morbo curationem indicantibus, nos remedia sequimur, quę ambobus sunt opposita. hincq; cichoreacea omnibus putridis febribus conuenientia auxilia iudicantur, quia tum febri, ea qua prędita sunt frigiditate, resistunt, tum causę, ob eam quam adepta sunt obstructa aperiendi, facultatem. Si vero morbus mitis, ac non vehemens ingruat, ijs quę causę contraria sunt magis quàm morbo vti oportet, quemadmodum in morbo, tum vehemente, tum magno, medicamenta debent magis morbo esse contraria. Hincq; Galenus prudentissime docuit in lib. meth. med. si multa simul curationem indicent, ei medicos attendere oportere, quod magis vrget, alijs tamen non neglectis. Aegyptij vero secus in curandis morbis agunt, semper à morbo sumpta curationis indicatione, vtuntur

ijs

ijs, quæ morbo contraria esse arbitrantur, morbi causis omnino neglectis, proindeque in omnibus febribus nullo discrimine frequentissimum habent medicamentorum ualde refrigerantium usum, quòd ipsa morbo validissime obsistere arbitrentur. In putri disq. decipiuntur, pessimeq. ut arbitror se gerunt, ualde frigidis vtentes, quia frigiditate intensa obstructa augentur, & cruditas humorum crudorum fouetur. GVILAND. Mirari nos non decet, si ij medici etiam ea communitate, quæ est contrariorum contraria esse remedia, pessime, ac vitiose nunc medendo vtantur, cum ferè omnia alia, quæ à priscis doctissimis illis medicis in ipsorũ memoria relicta fuere, corruptè ac pessime nunc etiam sequantur. Neq; etiam mirum ipsos ad frigidiorum vsum ita præcipites ferri quoniam omnes ob cęli caliditatem sibi ipsis in animum induxerunt, à calidis esse cauendum, ne calida corpora calidorum usu obłędantur, quod & apud Genuenses quoq; obseruari licet, ij enim biliosa corpora nacti, ita calidorum usum effugiunt, ut ad cõtraria potius ad frigida scilicet non secus quàm Aegyptij deflectant. secus verò apud Germanos, Boemos, Polonos, Anglos, Flandros, Gallos, atque alios sub frigido cęlo uiuentes, fieri consueuit; Namque illi tantum à frigidis metuentes, in calidorum usum nimium labuntur. aromatum etenim vsu, atq; generosissimorum vinorum, calidorumque non minus medicamentorum sibij psis hepar, sanguinemq; comburunt. ALPIN. Verum profectò dicis, sed de his satis, nunc ad alia transeundum.

Quæ præsciri debeant, priusquam ad particularem de medicina Aegyptiorum narrationem accedatur. Cap. V.

GVILANDINVS.

QVAE nam isthæc erunt, quæ nunc explicãda statuisti, aliqua ne præcipua & propria illorũ præsidia, quibus ad curandos morbos utuntur? ALPIN. Nondum eo peruenimus, ut possimus de ijs nunc agere; Etenim multa supersunt audienda, priusquam ad illorum narrationem deueniatur. GVIL. Quæ nam igitur isthæc inquam existunt? ALPIN. Multa, quippè

Aegypti

Aegypti ſitus, illius temperies cœli, anni tempora, ipſorumque naturę, & aeris mutationes ex Nili fluminis incremento. Aegyptiorumq; corporum habitus, temperamentaq;, victus, morbi ibi naſcentes, ipſorumq; cauſæ, atque alia, quæ ad medicinam illorũ rectè noſcendam facere uidentur. GVILAND. Quamobrem hæc.
ALPIN. Quoniam cum eorum, quibus ad curandos humani corporis affectus illiuſce regionis homines vtuntur non ſimplicem hiſtoriam tibi ſim proditurus, ſed vna cum ea rerum illarum laudem atque uitium, ut ex horum lectione medicinę ſtudioſi ijs quę illi in medicina facienda maxime ſequuntur, tuto, & ex artis prę-ceptis uti ſciant, & ad morborum inſtituendam curationem, ab illis quę uitioſe, minimeque ex artis ratione ſunt apud ipſos uſitata præſidia cauere queant. GVILAND. Laudo hunc tuum loquendi ordinem, quando præter eorum, quibus Aegyptij utuntur in medendo, vtilẽ notitiam, iſta, quę prius exponenda proponis non minorem cognita, nobis afferent, & uoluptatem, & utilitatem. Perge itaque quod vis enarrare, nulla interpoſita mora, ne hæc dies ſine longa linea nobis abeat. quando multa ſuperſunt dicenda, quibus huius diei reliquum poſſe ſufficere, uix credo.

De Aegypti ſitu atq; illius aeris temperie. Cap. VI.

ALPINVS.

AEGYPTI regio poſita eſt inter Aethiopiam, Arabiam, & Marmaricam, quæ nunc Barbaria dicitur, atque mare mediterraneũ, habet enim à meridię Aethiopiam, à Septentrione mare mediterraneum, veluti ab ortu Arabiam, rubrumque mare ſpectat atq; ab occaſu Marmaricam. Cayrus, olim Babylon, uel Babulis, nunc primaria Aegypti ciuitas ab ęquatore triginta gradibus diſtat, & longitudo eius eſt, graduum circiter ſexaginta. ſex tantum gradibus cum dimidio hanc ciuitatem ad tropicum Cancri accedere Ptolemæus teſtatur. maximaque dies ibi eſt quatuordecim horarum, & minima decem. Ciuitas hæc ad radices montium Arabiæ Petreæ ab Oriente poſita eſt, Septentrionalibus omnibus vẽtis expoſita nullo monte ab ea maris parte contecta, tota meridionalis pars ſabuloſa eſt. à quibus omnibus

eius

eius aer ad frigidum & calidum altèratur. Ab Orientalibus uero atque Occidentalibus paruam suscipit ille aer alterationem. Cum itaque hęc regio prope tropicum sit, mirum non est si Sole multum calefiat, prę sertimq; estate, quo tempore Sol radijs ibi terram rectius ferit, copiamque radiorum uel luminis, maiorem eius terrę accolis demittit. Quem calorem ibi multum esse, ac uehementem eos populos quandoque perpeti, ostendunt multa ab ipsis refrigerationis, causa inuenta, atque usitata. Eos enim in primis terrena habitare ædium loca apud omnes ob calorem noxiũ manifestum est, non minusq; in quaq; domo frigidarum aquarum in medio ędium positi fontes, eos frigiditate oblectari, significant. His etenim aquarum fontibus per totam estatem ipsum domorũ aerem refrigerant, propè etiam illos omnes ferè dormiunt. Amplius ciuitas hęc altissimis est fabricata ędibus, quę supra uias usq; adeo latissimis expanduntur regumentis, ut uiarum totum penè cœlum ex superiori parte occupent, obstruantq;, ne Sol (quando omnibus horis umbrę uias detinent, atque obtegant) noxam inferat uiatoribus. Vastissimis etiam fistulis, quę maximis tubis sunt similes, intra omnes domos positis ad frigidum excipiendum aerem utuntur. Hæ ex medijs domibus meatu decem cubitorum latitudinis ferè exurgunt, per medium q; rectissime sursum feruntur in aerem, peruięq; multo latiori ore instar campanæ expanso, ad summa uestigia desinunt atq; pertingunt, quo ore Septentrionem uersus operto, frigidam auram spirantem excipiunt, infernisq; ipsum ędium terrenis locis demittunt. & hoc pacto cuiusque ędis inferna, terrenaq; loca refrigerantur. Victus frigidorum ciborum, potuumq; apud omnes nimium obseruatu, eam regionem immodico aeris calori expositam proculdubio confirmat. Gviland. Isthęc certè omnia summe calidam aeris illius temperiem coarguunt, nihilominus calorem estatis tempore ibi talem esse audiui, quem facile quisque perferre possit. Temperari enim caloris illiusce temporis à Nili fluminis incremento per id temporis celebrato, atque ab assidua Septentrionalium uentorum spiratione à multis proditum est. Alpin. Ni Deus his duabus causis ambientis illius aeris estiuos calores minuisset, haudquaquam fieri posset, ut animalia ibi uiuerent. Tanta est Dei Optimi Maximi prouidentia, ut in locis sub cœlo calidissimo ui radiorum, solis inflammatis, sit aliquid quo refrigerentur, sicut in

frigidissimis regionibus omni ferè calore destitutis, ut aliquid habeatur, quo ea loca incalescant. Eaq; causa in locis Septentrionalibus, sub frigidissimo cœlo preciosissimę ac copiosissimę pelles reperiuntur, & lignorum comburendorum copia, quibus se à vehementissimis illis frigoribus homines deffendant. Aer itaque estate proximis radijs solaribus rectius terram ferientibus valde accensus, ab aucta Nili fluminis aqua, Septemtrionaliumq; uentorum spira tione asidua obtunditur, ac multum moderatur, ex prędominio uero ipse est calidus & siccus, inæqualis, valdeq. inconstans, substantia tenuissimus, maximeq. in locis à mare remotis, ut Cayrum, alięque ciuitates & loca supra ripas Nili posita. Hic aer hyeme aliquando insigniter frigidus apparet, & aliquando calidissimus, ob siccitatem immodicam aeris (ibi etenim rarissime pluit.) quę ut rerum naturę non ignari sciunt, utramq; actiuarum qualitatum acuit, ueluti hę ab humiditate hebetantur. Quam ob causam ob tenuitatem substantię hyemalis aer frigidior, quàm reuera sit, ab his populis experitur, quoniam is ob partium etiam tenuitatem corpora penitissime penetrat; frigidamq; qualitatem introducit, lędensq. sensibiles partes, maioris est causa sensus, quàm sit ipsa uis frigoris, maximeque ex omnibus corporis partibus caput ab aeris eius loci frigiditate obleditur, multoque magis, quod antea calido aere calfactum, meatus ualde apertos habuerit, per quos facilius frigidum aerem suscipit, a quo postea facile offenditur. Hincq. nullum est genus morbi ex capitis distillatione obortum, quod illi populi non patiantur. Dominatur autem aer summe calidus, ipsius cœli, ut dictum est, ratione: quod hęc ciuitas à tropico cancri tantum sex gradibus distet. Qua breui intercapedine, dum Sol ad illum accedit tropicũ, & illorũ Zenith fit propinquior, aer ille ualde incalescit, & nisi Etesię uenti tunc à Septentrione spirarent, uehementissimus & qui vix à nostris perferri posset, caloris estus sentiretur. Hyeme etiam nocturnus aer admodum frigidus obseruatur, qui ab orto Sole paulo post parum incalescit, in meridieq. plurimum; adueniente uero nocte rursum in frigidum permutatur, ita, ut aer ille ualde inęqualis sit dicendus, ab ipsiusq; illa inæqualitate plurimi morbi originem ducunt, atque generantur, qui eo temporis per urbem uagantur. GVILAND. Cupio etiam eiusdem aeris temperiem pro anni temporum ratione à te explicari. Quam ob causam

ſam te in primis de anni temporibus, quæ in uſu apud eam nationem exiſtunt, atque de ipſorum temperie, loqui optimum fore arbitror. ALPIN. Libenter de his nunc ſermonem inſtituam.

De anni temporibus apud Aegyptios vſitatis, atque de ipſorum temperie. Cap. VII.

ALPINVS.

DIVIDAM annum apud Aegyptios vſitatum ac obſeruatum in quatuor, ut noſtri etiam faciunt, partes, ſed ſecus quàm illi; ac primum à vere incipiam. Quod anni tempus ibi duobus menſibus temperatum, obſeruatur, Ianuario quippè & Februario. Incipitq; Orione & Canicula Orientibus, & deſinit ad occaſum Arcturi, quo tempore æſtas incipit, & deſinit vſque ad nocturnum Trianguli ortum: Quæ quidem eſtas duplex ſingulis annis obſeruatur, quarum prima eſt inequaliſſima ac ſumme inconſtans vehementiſſimo cum caloris æſtu, quæ maxime corpora offendit, præſertimq; aduenarum eiuſce cœli qualitati minime aſſueta: id igitur anni tempus, vt nuperrime etiam dictum eſt, principium facit, Arcturo Occidente, ſcilicet in initio menſis Martij, protenditurq; ferè vſque ad tropicum cancri, tribus, ſcilicet comprehenſum menſibus, quippe Martio, Aprile, Maio. Altera æſtas, quam ſecundam partem æſtatis appellamus, priori ſtatim ſuccedit, nam ipſa incipit Sole ſignum cancri ingrediente, terminumq; habet propè finem menſis Auguſti. Hæcque eſtas prioris æqualior, conſtantior, minusque eſtuoſa, atq; minus ſentitur noxia corporibus. Autumnus habet alios duos menſes, ſcilicet Septembrem atq; Octobrem. Hyems vero orientibus Pleiadibus, ſcilicet incipiente menſe Nouembri, incipit, atque ad Ianuarium menſem vſque protenditur. Hoc itaq; modo annum Aegyptiorum diuidi oportere iudico, ut quatuor diuerſis aeris naturis quatuor anni tempora rectè reſpondeant. Ver Ianuario, atque Februario ibi obſeruari, non eſt mirum, cum eiuſce temporis temperamentum mediocre ac temperatum in aere percipiatur. Id ipſumq; etiam tempus ver is inquam, indicant arbores, quę per eos menſes ibi germinant, & frondeſcere incipiunt, terraq; illa viren-

tibus herbis, ſtirpibus, floribusq; amęniſſima redditur. His autem exactis menſibus primam æſtatem, uel primam ęſtatis partem animantibus valde pro eius inconſtantia, multumq; inæquali caloris, & frigoris ſtatu, noxiã ſentiunt. Atq; hæc prima ęſtatis pars inconſtanter menſibus Martio, Aprili, Maio, obſeruatur. GVILAND. A quibus nam cauſis hæc prima ęſtatis pars inconſtantiſſima, æſtuoſiſſima, atq; inæqualiſſima fit. Memini etenim ego dum Cayri olim moram facerem, ijs vtique tribus menſibus me ventos calidiſſimos, moleſtiſſimosq; ſentijſſe, cum arenarum inflammatarũ magna copia, qua aer ita obſcurabatur, ut Sol neutiquam videri poſſet. Illoq; etiam tempore quamplurimos vagaſſe epidemicos, atque lęthales morbos, maximęq; oculorum lippitudines, quas Græci Ophtalmias appellant, Quam ob cauſam arbitror huius prioris æſtatis partis cauſam eſſe ventos illos ſumme calidos, atq; ardentes à Meridie, locisq; arenoſis inflammatis perflantes; Hosq; ventos Campſim appellabant, quaſi dicerent ventos diebus quinquaginta perflantes; id vero tuis proximis verbis aduerſatur, qui dixeris iſtam ęſtatis partem non tantum diebus ijs, ſed tribus perpetuis menſibus durare. ALPIN. Euri Auſtriq. venti, ut tu rectè dixiſti, à meridie loca arenoſa, ſummoq. calore inflammata tranſeuntes atque in Aegyptum ſpirantes, tantum caloris ęſtus, puluerumq. & inflammatarum arenarum euehunt, vt ignitas formacis flammas, nec non pulueribus obſcuriſſimas, nubes eò aſportaſſe videantur. Puluis illa vel arena copioſa ventis tum aſportata, tum ex ſolo Argypti ventis arrepta, atque per aerem agitata, non minus quàm aer ſuo calor, corpora lædit, atque offendit, oculoſque maxime, quos mordet & inflammat. Hincq; epidemias plurimas & ophtalmias, quę tunc temporis per illam vrbem vagantur, originem habere dicerem. Hi uenti interrupte ac inconſtanter, quandoque tribus, & quandoque quinque, & aliquando etiã ſeptem atque nouem diebus (quamquam rariſſime contingat) ſpirant. Ipſosq. Charonios vocare poſſumus, quod quaſi à Charonte procedant, ſemper plurimos lęthales morbos ijs populis aſportantes. Quo tempore multas peſtiferas febres, atque phrenitides homines non diebus, ſed horis paucis perdentes, ſęuiſſimasq. quamplurimas ophtalmias ibi vagari obſeruaui. Corpora omnia ita ab his lãguida redduntur, vt ferè cibos abhorrere videantur, inextinguibiliq̃ue ſiti continue ardeant. Pro qua ſiti arcenda

flumen

flumen Nilum eis Deus largitus eſt, cuius aqua præiucundiſſima omnia refrigerantur, atque humectantur. Aduenæ noſtri ijs pro flantibus ventis ad ſubterranea loca confugiunt, in quibus morantur quouſque ille ventorum ardor reſederit, atque ceſſauerit. Coniunxit hęc incommoda Deus Optimus, cum alijs quibuſdam bonis, nam vbi calidiſſimi ij venti conticuere, ſtatim à Septentrione flare alij incipiunt, qui ſubitaneum inflammatis, atque laxatis corporibus ſolatium præſtant. Si enim illi diu perſeuerarent, nemo in ea regione viuere poſſet. Quod autem ad primam æſtatis partem attinet, quam trium menſium eſſe affirmarim, & ad ventos, quos Aegyptij vocent Campſim, quod nomen numerum explicat quinquagenarium, ſcito circa illius quinquagenarij numeri explicationem multos multa locutos fuiſſe. Aliqui etenim illos uentos Campſim appellant, quoniam ipſi interruptè diebus quinquaginta ſpirare ſoleant. Atq; aliqui eo nomine quinquaginta eos nuncupant, quod illorum ventorum furor ac æſtuoſa moleſtia ſpacio dierum quinquaginta finiatur. Et alij Campſim ob id eos dicendos affirmant, quod vt plurimum à Paſchate Reſurrectionis uſq; ad Paſcha Aſcenſionis ipſi flare obſeruentur, quod tempus eſt dierum quinquaginta. Quod tamen falſum dignoſcitur, quando ego obſeruaui ſępius ante Paſcha etiam Reſurrectionis illorum ventorum furorem. Alij, & uerius mea quidem ſententia, dicunt, hos ventos Campſim vocatos fuiſſe ex morte Campſis multarum copiarum ducis, quem immodica arenarum, copia, quæ ventis illuc aſportata fuerat cum toto exercitu in Africæ deſerto ſuffocauerat, vt in vita Alexandri Magni legitur. Hæc æſtatis pars eſt corporibus ualde noxia, quoniam per id temporis calor interim continuò, & interim frigus in aere percipitur. In hoc etiam anni tẽpore per vrbem vagatur ille ległhaliſſimus morbus, quem Demelmuia, appellant, qui paucis horis homines perdit. Altera ęſtatis pars hanc ſequitur æqualis & minus calida, eſſet tamen & ipſa calidiſſima, niſi Septentrionales venti continue tunc ſpirarent, atque niſi Nili fluminis fieret incrementum, quibus aeris æſtuoſa caliditas paululum contemperatur. Hac æſtatis parte, quæ a nobis ſecunda æſtas uocatur, aer eſt multum & ipſe calidus, ſed æqualis conſtansq; à principio ad finem vſque, non ſubito, ſed paulatim ſenſimq; caloris adferens mutationes; qui quo Septembri menſi vicinior, eo temperatior redditur. Ideo hoc anni tempus mor-

bis caret, & ſalubre eſt. Omnes agricolæ tunc vitam ocioſam ducunt, quoniam terra vſque ad peraucti fluminis diminutionem cultui eſt inepta, inundatione aquæ ſupra ipſam non finiente. Atque tunc ſpectacula, ludique augeſcente flumine ab his celebrantur. Autumnus Septembri, Octobriq́ue menſibus celebratur, in cuius fine ceſſante fluminis inundatione, triticum ſerunt, quod Martio menſe maturum ab ipſis euellitur; atque colligitur. Huius temporis aer eſt temperatiſſimus, æqualis, morbis carens. Alijs ſequentibus duobus menſibus frigidior fit, atque hyemalis. Raro decidunt pluuię, quod ſi contingat, tanquam ros eſt: Cayri inquã, quandoquidem Alexandrię Peluſijq́; & in omnibus locis mari adiacentibus pluit largiſſime, & ſæpe. Nouembriq́ue facilius, quam Decembri, id accedit, quod eo menſe aer ſit frigidior: rariſſime glacies, nunq; nix, neque grando ibi viſitur, cum aer careat tanta frigiditate qua hęc gigni queant. Hęcq́ue eſt temperies aeris locorum, qui a mare longe diſtant, per omnia anni tempora obſeruata. loca mari proxima aere utũtur minus calido, & minus ſicco, ibique largiſſime, ut dictum eſt, pluere ſolet. GVILAND. Tuo de anni in ea regione partibus diligenti habito ſermone mirum in modum ſum delectatus, ſed quoniam dixiſti, Sole tropicum cancri ingrediente aerem ibi ex immoderate calido atque ęſtuoſo, ad minus calidum ob uentos à Septentrione ſpirantes, atque ob incrementum Nili fluminis mutari, id illius cœli naturæ uidetur maxime contrarium, quando quis crederet, in calida regione Sole terram ad angulos rectos feriente, aerem à magis calido ad minus calidum mutari poſſe. Ideo cupio te de hac eademq́; aeris mutatione rurſum clarius loqui. ALPIN. Tibi vt ſoleo ſemper etiam hac eadem in re ſatisfaciam.

De aeris mutatione ex ventorum Septentrionalium ſpiratione, atq; ex augumento fluminis Nili. Cap. VIII.

ALPINVS.

VENTI, quibus ad calorem & frigus aer Aegypti, prę-ſertimq́ue Cayri permutatur, ſunt Meridionales atque Septentrionales. Ab his etenim, ut nuper etiam dictum

eſt,

est, ea loca maxime incalescunt, veluti à Septentrionalibus refrigerantur. His omnibus tota illa regio est exposita, sed magis Septentrionalibus, quibus Aegyptus libere euentatur, à Meridionalibus vero, cum inter ipsum & meridiem montes quam plurimi sint, præsertimq; Lybiæ atque Ethiopiæ, non ita libere perflatur. rarò etenim ipsi perflant, atque non nisi, ut superius dictum est, in prima æstatis parte. Perflant vero à Septentrione sæpissime in anno, sed præcipue tota æstate. Summa enim Dei sapientia Aegyptum cœli causa valde calidum Septentrionalibus magis, quàm alijs expositum esse voluit, vt ipsorum refrigeratione aer illiusce regionis summe calidus multum refrigeraretur. Ab Orientalibus autem parum uel nihil illorum locorũ aer alteratur, quoniam & rarissimi, & paucissimi existunt, quod tota ea regio montibus ab Oriente supposita sit, atque ab his contecta. Et ex his, qui ab occasu spirant, non multum aer alteratur, cum hi temperati sint. Septentrionales itaque venti, qui mense Iunio flare incipiunt, mirum in modum aerem refrigerant, quoniam longissimos maris tractus, priusquam illuc accedant, per transeunt, in tam longoq; itinere ipsi ab aqua maris refrigerantur. Mirari itaque non debemus, si hi venti in secunda æstate continue frigus per iter susceptum spirantes, aerem illorum refrigerant. Quam aeris ad frigus alterationem fouet etiam fluminis Nili incrementum, à peraucta fluminis aqua refrigerato siue moderato caloris æstu. GVILAN. Quęso fluminis huius ortum, incrementum, eiusq; causas, ibi ab ijs populis auditas, mihi etiam narrare, non pigeat. His etenim probè cognitis, quo pacto Aegyptijs refrigerationem conciliet, facile dignoscemus. ALPIN. Quamquam ego certò sciam tibi viro doctissimo huiusce fluminis incrementum, & eius causam ex multorum scriptis esse planè cognitam, nihilominus, cum istud etiam ex me narrari volueris, operam dabo, vt tibi morem geram. Hoc flumen, omnium vt audio, longitudine maximum à diuina sapientia in arenosa squalidioriq; Africa factum esse creditur, ut illa mundi pars foret habitabilis. Quando summum admirandumq; omnibus videatur miraculum, terram Aegyptij, Sayeth, aliarumque multarum Africæ regionum loca esse fœcundissima ob solam huiusce fluminis inundationem, nihil enim terræ, arena excepta ea loca habent. Deus flumen illud ijs populis largitus est, ut ea arenosa loca pingui limo fluminis aqua asportato, fœcunda-

rentur, atq; irrigarentur. Qui accuratius eius ortum indagati sunt, atque nouerunt, affirmant nasci proxime brumali tropico ad radices quorundam altissimorum montium, lacum uastissimum sexcentum mille passuum circuitus, facientes, à quo flumen Gion ab his appellatum directè Septentrionem versus procedit, tandemque in mare mediteraneum descendit, ipsumque ingreditur, & ab ipso propè æquinoctium magnus riuus procedit, per mediumq; totius Africæ transit ab Ortu ad occasum procedens. Quo flumine Nigro à nostris vocato, hi populi perinde ac Aegyptij vtuntur. Nilus vero, vt ad ipsum nunc redeam, terram Aegypti arenosam, ac omnino sterilem limo pinguissimo aquæ larga inundatione obtegit, fœcundissimamque ac cultui aptissimam reddit. Deusque etiam, quod eorum locorum corpora summe calida, & squalida, præmultoq; cœli calore admodum sitientia essent, illis hoc flumen largitus est: cuius aqua omniũ pro vsu humano optima epota, corpora ipsorum ab his aeris ardoribus deffenderentur. Cayri vero, vt huiusce fluminis augmentum nunc dicam, singulis annis cõstantissime (cuius veram causam me ignorare fateor.) mense Iunio, die decima septima, Oriente Sole flumen illud augeri incipit, & nunquam obseruatum est, eiusdem augmenti principium ab ea die, & hora consueta deflexisse; quod certè magnum naturæ arcanum omnibus videtur. Mox magis & magis perauctum, singulis aliquando diebus ad octo, vel decem, uel ad pauciorum digitorum altitudinem crescit: ad summum quatuor & viginti cubitis. Aliquando etiam, quod tamen rarissime obseruatum est, vsque sex & viginti cubitorum altitudine perauctum fuisse, illorum memoria constat. Ipsumq; decem tantum & octo cubitis auctum sat est pro agrorum inundatione facienda. Terminatur uero totum augmentum mense Augusto, & plerunq; vsque ad medium Septembrem, vel ipsum augmentũ vsque ad istud tempus vigere obseruatur, loquor de aqua extra fluminis ripas aucta, quando intra ripas flumen semper decrescat vsque ad Maium mensem, & ex hoc tempore inundatio decrescere incipit, continuat hoc aquæ decrementum vsque ad medium Octobrem, quo tempore omnis aquę tumor inundatioque absorpta est, terræq; ob id agricolæ semina committere solent. Decrescit autem intra ripas Nilus paulatim ac paulatim ad Maium vsq; mensem, in quo mense eius aqua paucissima, & ferè stagnans cernitur. De huius aquę

vtilitate

vtilitate, atq; de magna voluptate pro his mittigandis caloribus, postea loquemur. Verum à quibus causis arbitreris tu huiusce fluminis augmentum istud pendere? GVILAND. Ab Etesijs eo tempore flantibus ventis, vt dicebat Thaletes philosophus, non arbitror, quando nihil in eo flumine cernatur, quod prohibeat, quin ipsum omnem aquam euomet in mare. Neque minus puto, vt Ephorus affirmabat, solum Aegyptium, quod instar spongię estate expressum aquam hyeme susceptam exudando, possit flumen istud augere: Minusque etiam, vt Euripides, atque Anaxagoras dixere, à liquatis Aethiopiæ niuibus id fieri posse, quod Euripides his verbis expressit, dicens:

Aqua pulchra deserens
Fluminis Nili, quæ ex terra defluit,
Nigrorum hominum, & tunc tumefacit vndas,
Quum Aethiopiæ niues liquantur.

Niues intra tropicos fieri nequaquam existimo, cum nusquam in Aegypto cœli longè minus calidi Aethiopico niues, aut pruinæ præ aeris caliditate visæ sint. Equidem multo ueriorem iudico sententiam Democriti Abderitæ, Agatarchidis, Diodori Siculi, Plinij atque Hieronymi Fracastorij, qui dixere huiusce fluminis augmentum pluuijs in Aethiopia cadentibus acceptum referri, quæ ibi Sole cancri signum ingrediente fiunt largissimæ, ac copiosissimæ quadraginta vsq; diebus perseuerantes. Quam sententiam Fracastorius, his versibus memoriæ prodidit in libro de vita Ioseph, dicens.

Nam septem annos qui deinde sequentur
Infœlix steriles, durosq; Aegyptus habebit;
Ipse intra ripas demisso flumine Nilus
Curret iners supraq; caput, limumq; feracem
Non tollet: Sicca arebunt arua omnia, sicca
Solstitia, & nulli descendent è montibus amnes
Consueti pluuiarum amnes sub sydere cancri
Aethiopum populis, nec hyems æstiua redibit.

Quod verissimum esse illius regionis accolæ affirmant, cum sæpe audiant ex multis ab Aethiopię varijs locis Cayrum profectis diebus quadraginta singulis annis perpetuoq; tempore ibi largissimos imbres, atque continuos è cœlo decidere, Cayri in toto ferè augmenti fluminis tempore Etesiæ, vt iam dictum est, perflantes

singu-

ſingulis ferè diebus ab orto Sole, vſque ad meridiem multas nubes nigras, craſſas, pluuioſas in altiſsimos vſque Lybiæ, Aethiopiæq; montes propellunt, atque aſportant, in quibus montibus hæ concreſcentes in pluuias vertuntur, quæ ab his in Nilum cadentes, ſunt cauſæ ipſius augmenti. Obſeruatur quotidie Cayri dum flumen hoc augetur, qua die multæ nubes ſupra Aegyptum verſus Meridiem à Septentrionalibus ijs ventis aſportatæ tranſierint, multum flumen augeri, atque ex contrario clara apparente die, nulliſq; nubibus in eo cœlo apparentibus, parum creſcere. Et hæc eos nunquam fallit, obſeruatio. ego igitur fluminis huius augmentum ab Aethiopicis largis pluuijs fieri cum illis doctiſsimis viris vnà exiſtimo. Alpin. Neque immeritò, ab ipſorum ſententia te eſſe, opinor, quando ex ea nubium ex te nunc narrata experientia, multis obſeruationibus facta, ego etiam animaduerterim veriſsimum eſſe aſsiduas, largiſsimasq; ibi decidere pluuias, atque imbres, à quibus flumen creſcit. Imbres nuper dictos in montibus Aethiopiæ fieri à quamplurimis mercatoribus, qui loca Africæ propè Nilum poſita peragrarunt, ſæpiſsime audiui. Addo maiorem pluuiarum copiam in montibus illis, à quorum radicibus id flumen naſci ex multorum mente, dictum eſt, fieri oportere, quoniam ea loca per id temporis frigidiora exiſtunt, Sole ab ipſis quamplurimum elongato, atque excelſos montes habent, quorum iuga aerem ſeruare admodum frigidum credendũ eſt, quia etiam flumen, quod Nigrum appellant, non falsò à multis creditum eſſe Nili riuum, æque vt Nilus creſcere obſeruetur. Pluuiæ itaque augmenti fluminis huius cauſæ creduntur. Quod etſi veriſsimum eſſe arbitror, tamen duo de flumine iſto tibi nunc dicenda eſſe iudico, quorum cauſas naturalibus principijs poſſe cognoſci, nullo modo fieri poſſe arbitror. Primumq; eſt, flumen iſtud in Aegypto conſtantiſsime perpetuo tempore ſingulis annis menſe Iunio dieque decima ſeptima, incipere augeri. Secundum eſt, obſeruatio futuri huiuſce incrementi: qua ad quotos cubitus flumen ſit peruenturum, prænoſcunt, nunquamque à ſuo iudicio aberrant, neque falluntur. Gviland. Quomodo hoc uerum eſſe poteſt, & quo pacto ipſi augmenti huius magnitudinem præſcire queunt. Alpin. Nilum incipere augeri perpetuo tempore menſe Iunio, dieq; ſeptima decima, omnibus ibi habitantibus notiſsimum eſt, ſed qua cauſa id fiat, ego prorſus ignoro.

Menſe

Mense itaque Iunio ante solis ad tropicũ accessum, multis diebus Aegyptij terram illiusce fluminis toto integro anno adseruatam, & siccatam, arefactamque accipiunt, quam lance expendunt, faciuntq; vt ponderum numerus, addentes ac subtrahentes dragmis sedulo respondeat, vt exempli gratia, terra sit trium dragmarum pondere, quam in loco sicco, vndique concluso reponunt, & conseruant, quotidieq; librantes, ipsam obseruant nihil auctã, nihilq; imminutam pondere esse vsque ad diem decimam septimã mensis Iunij, in qua die auctam ipso pondere inueniunt, ex cuius pondere multum vel parum aucto, multum vel parum flumen illud auctum iri prenoscunt, à diligentiq; peraucti illiusce ponderis notitia, quotis etiam cubitibus ipsum sit augendum certò presciunt. Huius obseruationis, atque veritatis testes erunt Paulus Marcinus Venetus illo tempore pro Gallorum Rege Consul clarissimus, & ex societate Iesù Reuer. Baptista Elianus, & Franciscus Saxus, & Franciscus, Bonus, Ioannesq; Varotus Anglus nobilissimus, qui in multis obseruationibus interfuerunt. Ex qua vero causa hec terra pondere augeatur, non est nunc dicendi locus. GVILAND. Hec certè duo sunt multa admiratione digna, de quibus nisi à sermone de medicina Aegyptiorum prosequendo, atque absoluendo nunc aberraremus, quando hoc precipuum sit nobis institutum, ac propositum, cuperem multo copiosiora, ac altiora loqui. que quidem in commodiorem occasionem consideranda remittemus. Sed tempus est, vt ad alia transeamus, proinde optimum fore existimo, vt tu nunc de Aegyptiorum corporum temperamentis, atque habitu loquaris, postquã ambientis illiusce aeris temperamentum probè narrasti; atque omnes quibus solet mutari, causis rectè es contemplatus. Expecto itaque vt de his sermonem instituas.

De Aegyptiorum corporum temperaturis, atque habitu. Cap. IX.

ALPINVS.

DARE operam, vt Aegyptiorum corporum temperiem indagemus finitam, siue terminatam, nihil sanè aliud erit, quàm tempus frustra consumere, quod si tu mihi indi-

indicaueris Cayrì tantum accolarum temperiem dicendam, non secus quàm Xanthus ab Esopo perdoctus, illis, quibus totum mare se potaturum promiserat, dixerat, ipsum prius à fluminibus segregari oportere, responderem itidem, vt Aegyptij à cunctis alijs populis segregarentur, quod sanè difficillimum est, quando Cayri habitatores sint Aegyptij, Arabes, Aethiopes, Abissini, Indi, Persæ, Assirij, Damasceni, Græci, Armeni, Turcæ, Tartari, Prussi, Vngari, Sclaui, Mauritani, omniumque aliarum ferè nationum. Semper hęc ciuitas fuit publicum ac famosissimum emporium totius orbis terrarum. Hinq; apparet difficultas constituendi, atq; designandi vnum aliquod temperamentum, huiusce urbis accolis omnibus commune. GVILAND. Videtur tamen necessarium, omnes, qui eam vrbem per multos annos habitarunt, ad aliquod reduci temperamentum, eodem tum cœlo, tum victu vsi, quę proculdubio natiuum temperamentum mutare solent. Nam cęlum, cibus, potus, & alię conseruatrices causæ, corpora necessariò, ut dicebat Gal. in lib. artis med. alterant, atque permutant. Audio vero ibi triplex genus hominum reperiri, Vrbanos scilicet, vrbem habitantes, Arabes, qui degunt sub tentorijs, atque demum Agricolas Rusticosve villarum habitatores. Non videtur igitur tam difficile eis temperamentum unum constitui, atque assignari posse. ALPIN. Illorum corpora, quod posterius etiam, atque ex me accuratius audies, vbi rursum ipsorum, tum temperamenta, tum habitus sumpta ex missione sanguinis occasione, cum id apud ipsos valde frequens sit, considerabo, pleraque sanguinea existunt. Certò enim affirmare possumus ipsa cœli ratione esse valde calida & sicca statuenda, cum sub calidissimo & sicco cœlo habitent. omniumque maxime rusticorum, & secundo loco, Arabum demumque Vrbanorum: Quorum caliditatem & siccitatem minuunt, & permutant vsus frequens, & assiduus potus aquę, ciborumque refrigerandi facultatem habentium, atque immodice veneris. Quæ omnia ita possunt pro refrigerandis corporibus, vt calidissima corpora summe frigida reddere queant. Idque in mei ipsum facto periculo verum esse cognoui. Nusquam gentium memini me vidisse in tanto numero ita perpingues homines, quales Cayri obseruantur ex viris. Plurimos vsque adeo pingues inspexi, vt mãmas haberent longè mulierum maximis mammis maiores, crassiores, ac pinguiores. Balneis etiam ibi ex dulci aqua paratis,

quibus

quibus aſsiduo vtũtur, corpora illorum maxime refrigerantur, ex his itaque colligo, pleraq; illorum corpora ſanguineo, vel pituiſo temperamento conſtare. præſertimq; mulierum atq; Eunuchorum. Ex corporis partibus præcipuis hepar calidum & humidũ plerique obtinent, atque temperatũ, qua re multo ſanguine abundant. Stomachum vero frigidum, multaq; pituita refertum. atq; hoc tum ex cœlo, tum ex victu, nam ab ambiente ſumme calido quemadmodu hepar admodum incaleſcit, ita ſtomachus frigeſit. dicebat etenim non immerito Diuinus Hippoc. hyeme ventres eſſe calidiſſimos, & æſtate frigidiſſimos. Quare ex aeris multa caliditate, naturali corporis calore, tum extra ad extimas corporis partes euocato, tum exoluto ſtomachus frigidior rẽdditur. ex vſu vero victus refrigerantis quis dubitat corpora ad frigidum mutari. Habitus illorum eſt, vel moderate carnoſus & pinguis, vel valde pinguis. loquor de urbanis, quando Arabes habeant corpora graciliora, atque minus pinguia; Omniumq; maxime ruſticorum, quorum corpora tum gracillima, hirſuta, ſqualida, & ferè combuſta à Sole conſpiciuntur. Gviland. Ex cœlo, cuius nunc qualitatem perfectè ex te percipi, poſſum illorum corporum temperamenta, qualia tu conſtituiſti confirmare, ſed ex victu, quem hactenus non intellexi, nequaquã. proinde cupio cæteris in aliam occaſionem reiectis, ut tu victum illorum mihi enarres, quo non ſolum ea, quæ de ipſorum corporum temperamentis tu in mediũ attuliſti laudare poſſim, ſed multo plus etiam quibus morbis ob hanc rationem ipſa ſint obnoxia dignoſcam. Alpin Verum dicis, At non minus ex cognito ipſorum uictu, longæuæ illiuſce gentis rationem ſpeculari poteris, quando præcipuam illorum longæuitatis cauſam in ipſorum viuendi modo conſiſtere, ego exiſtimem. Victum itaq; quem ipſis affectant, tibi detegere operam nunc dabo.

Quali victu Aegypti habitatores nunc vtantur.
Cap. X.

ALPINVS.

AEgyptii tenui, admodumq; ſobrio victu utuntur: ſæpius tamen quàm noſtri, in die comedunt, ter ſiquidem quaterve ſingulo die cibum ſumẽtes quantitate & qualitate

litate paucum, vnicoque ac simplici cibo sunt contenti, ciborum varietatem abhorrentes. neque multum carnium vsu delectantur, atq; plerique illorum aquam eporant, lege illis interdicto vino. Sunt tamen etiam multi Christianorum, Turcarum, atq; Hebreorum, qui vinorum potationibus non secus quàm Vltramontani indulgent. Vsus carnium apud Aegyptios est temperatissimus, atque non minus simplicissimus, omnes ferò arietum castratorum carnibus vescuntur. Aliqui ipsorum pullis gallinaceis frui nunc cœperunt, à nostris mercatoribus perdocti, tamen in carnium esu sunt parcissimi. GVILAND. Qualis igitur est cibus illis familiaris, quo perpetuo aluntur, cum ipsos carnibus parcissime vesci dixeris? Forsitam leguminum, lacticinorum, piscium, fructuumque vsum illos pro cibo frequentare, atque ijs cibis ali dices. ALPIN. Omnes humido cibo oblectantur, ipsumque affectant, hincque orizam in iure carnis castratorum paratam, lentesque pisa, & albos ciceres, melochiam, maluam, atriplicem betam, caules, bammiam, cucumeres nostrates, & quos Chatè appellant, colocassiam, scilicet eius radices, melones, angurias, dactilos, musas, ficus nostrates, & sycomori, armenica, persica, vuas, mala aurantia limonia, citria, granata. Ex carnibus, vt nuper etiam dictum est, arietum castratorum, quæ cæteris omnibus ibi in pretio habentur, pullos gallinaceos. multi pauperum carnes bubulorum, aliquandoque etiam camelorum esitare consueuerunt. Et ex piscibus, quorum vsus ibi est aliquanto familiarior, comedunt lupum, cephalum & multos alios ex Nilo flumine expiscatos, crocodili etiam carnes non secus quàm aliorum piscium multi mandunt. In locis prope mare positis omnia piscium genera, in multa copia optima reperiuntur, quibus omnibus ipsi vescuntur, salitis quàm maxime ac interim semiputridis. Ex lacte quam plurimos cibos parant, omniaque genera lacticiniorum apud ipsos sunt in vsu frequentissimo. atque hęc de cibis particularibus, qui in vsu apud eos sunt, dicta sufficiant, hoc uno tantum cognito, ipsos ciborum varietate non delectari, sed cibo simplicissimo. Multi etenim sunt, qui prandium vel cœnam perficiunt, sola anguria vel pane tritico, quo omnes vescuntur. ibi etenim nulla alia panis genera cognoscuntur, quàm ex tritico parata. vel solo iusculo ex radicibus colocassiæ, vel bammiæ fructibus, vel melochia, vel oriza, vel lentibus, vel cum alio legumine parato, vel sacchari cannis

uiri-

viridibus commansis, vel solis vuis, vel ficubus, vel cucumeribus, alijsq, similibus. GVILAND. Sunt ne apud illos optima olera atque fructus piscesque & carnes, quibus illi vescuntur? ALPIN. Omnia olerum genera, illorumque fructus omnes nostris sunt longè multò humidiores, atque hinc etiam insipidiores, quando omnia hæc terram non modice irrigatam, at multis diebus inundatam producere, te vidisse certò sciam. Tanta est eius terrę siccitas & ariditas, vt si ea à terra abigenda sit, terraque ipsa fęcundior reddenda, non sat est ipsam tantum modice aqua irrigari, sed quamplurimis diebus largissima copiosissimaq; aqua vndantem, atque tectam manere. Hincq; hortorum viridariorumque diebus singulis terram sæpius aqua inundare vel demergere solent, ut fęcunditati aptiorem reddant. ea item causa omnia illorum olera, atque herbas esse valde humidas, atque nostris insipidiores arbitror, quibus animalia q̃ pascuntur carne fieri valde humida, excrementosa, atq; gustui minus suauia non est mirum. Pisces etiam in Nilo nascentes tametsi pingues atque gustui suaues sint, nihilominus ad sanitatem tuendam pessimi putantur. nam flumen illud saxosum fundum non habet, sed limosum, neque admodum celeri ac vehementi motu agitatur, ipsius aqua limosa & cænosa existit. Quæ omnia non obscura esse inditia insalubrium piscium in eo flumine nascentium Gal. in lib. de succorum bonit. cap. 19. memorię prodidit. Pro potu omnes Aegyptij Mahometis assęclæ suauissima illiusce fluminis aqua vtuntur, quæ alijs omnibus bonitate videtur præferenda. Christiani verò atque Hebręi etiam vinis vtuntur. GVILAND. Hippocrates in lib. de aere loc. & aq. docuit optimam aquam esse quampurissimam, cuiusuis coloris, atque mali, tum saporis, tum odoris expertem. Qualis uero sit purissima Gal. in lib. 1. de simp. med. facult. cap. 5. his verbis docuit, inquiens: Aqua quæ est purissima tribus sensibus iudicatur, gustu videlicet, visu, olfactu, gustu si nullam planè qualitatem præseferat, sed videatur ab omni qualitate immunis: Visu, si pura syncera, & exquisite clara: olfactu, si eorum nihil est, quæ in aquis vitiosis esse olfactus testatur, vt aciditas, putredo, acredo, salsedo, aliquodve aliud vitium, quod nomine caret. Docet etiam cognoscere, omnium optima atque pessima aqua quo pacto dignoscatur, in primo de sanit. tuenda. cap. 2. dicens: Quod si quis est, qui ex notis potius vim eius prænosce malit, cuius fons è pe-

„ tra ſcaturiens contra Septentriones fluit, Solemque auerſum ha-
„ bet, hanc ægre concoctum iri, tardiq; tranſitus eſſe, putandum eſt:
„ eadem nimirũ calefiet, frigefietq; tardè: Contra, cuius ad Orientẽ
„ Solem fons erumpit, quæq; per meatum aliquem mundum, aut
„ puram colatur terram, eademq; calefit ac refrigeratur ocyſſime,
hanc omni ætati vtiliſſimam eſſe exiſtimandum eſt. Hisque notis peſſima ab optima aqua dignoſcitur, quibus certi ſumus aquam Nili fluminis probè clarefactam optimam iudicari, quando ipſa ſit omnium puriſſima limpidiſsimaq;, ſubdulci ſapore, nulloque malo odore. Alpin. Quis non credet illiuſce celeberrimi fluminis aquam omnium ad vſum humanum optimam ac præſtantiſſimam eſſe, ipſa tum longo itinere (Nilus etenim in locis propè ſub tropicum capricorni poſitis naſcitur, vltraque alterum tropicum ſcilicet cancri in mare vſque mediteraneum labitur) tum quoniam vniuerſam terræ plagam à Sole exuſtam, quam inhabitabilem antiqui eſſe arbitrati ſunt ob caloris nimium æſtum, pertranſit, in longiſſimoque itineris tractu fere à Sole percoquitur, & à motu vel agitatione, quæ in tam longi itineris proceſſu fit, & à colapſu ſiue deſcẽſu a ſummis montibus facto, flumine ab excelſis locis ad ima præcipitato probè attenuetur & purgetur. Quod uero non ſaxoſum alueum id flumen habeat, ſed pinguiſsimę terræ, atque optimæ, ipſam aquarũ omnium minime frigiditate poſſe nocere, erit iudicandum. Quibus notis Auicenna aquam illam multis laudibus commendandam literis tradidit. Gviland. Rectè loqueris, ſed hoc tempore quo pacto illam quę turbidiſsima eſt, claram efficiunt, ad vſumq; idoneam reddunt. Galenus etenim in libro primo, de ſimp. med. facult. dixit, Aegyptios olim ipſa per fictilia vaſa percolata vſos fuiſſe. Alpin. Alium quoq; nunc modum apud ipſos adhiberi, ac frequentari vidi, quo aquam illam puram, ac claram efficiunt. Ipſi etenim ſtatim camelis in vtribus è flumine domum aſportatam aquam in magno fictili vaſe oblongo, aluum latiorem ac rotundam obtinente, binasq; aquæ amphoras continente, reponunt, eaque ibi repoſita, & proiecta confertim, quinq; dulcibus amygdalis modice contuſis labra vaſis inungunt, & ſubito manum cum amygdalis in pugnum obſeratum concluſis, ſimul cum toto cubito in aquam demergunt, valideque hinc inde per aquam cubitum pugnumque impetuoſe mouent, atque agitant, donec ipſa longe multo turbidiorem reddiderint,

indeq;

indeque è vase detracto brachio, amygdalis intra aquam relictis, ipsam clarefieri sinunt. quę spacio trium horarum prōbè clarescit. quam è magno illo vase in paruulis fictilibus rursum reponunt, in quibus & clarescit magis, & refrigeratur. Plerique incolarum hac aqua ita clarefacta pro potu, atque cibo vtuntur. Alij multi eam pluribus diebus residere ac purgari, permittunt, vt purissimam, atque quam tenuissimam reddant. quæ proculdubio omnium est aquarum prestantissima. Rectè quidem ipsi, quo ad conseruandam sanitatem, se gerunt, illa vtentes aqua, quę ita est tenuis, vt epota subito omnes partes corporis penetret, quamplurimi ab epota illa aqua, statim largissime sudant, Aliqui mingunt copiosius, atque alij per aluum deijciunt. est enim partium tenuissimarum, leuissima, atque à Sole concocta, ita vt ob id mirum non sit illā immodice die noctuq; epotam corpora non lædere. Quinimo calida corpora ipsa multum iuuantur, nam internorum illorū viscerum calorem, atque incendium contemperat. Hinc quùm Cayri Io. Iacobus Manne medicus doctissimus, & ego de curanda cuiusdam Turcæ domini Sangiach renum calida intemperie consuleremus, cum ego pro illo affectu serum lactis caprini commendarem, ridens ait, ecquid sero lactis indigemus, si Nili aquam habemus? Hoc ego tunc risu dignum esse iudicaui, sed multis post annis facta de eius aquæ facultate experientia, non irridendā sententiam doctissimi medici, quinimo sumopere laudandam ac commendandam esse, cognoui. Gviland. Gaudeo tantas laudes aquę Nili fluminis audiuisse, minusque ob hanc causam miror, si eius regionis accolę sibijpsis persuaserint, aquam illam intra ipsorum corpora susceptam in sanguinem mutari. Siquidem omnes vno ore clamant, ipsam in nostris corporibus non aliū humorem, quàm sanguinem generare, & hoc illi à Deo datum fuisse, vbi Moysi præceperit, vt aquæ in sanguinem mutarentur. Ex quo tempore creditur hanc aquam vim sanguinis obtinuisse. Hanc diuites omnes epotant, tum simplicem, tum saccharo & succo limonis mistam. Sed hęc sint satis de illorum cibo & potu. perge quam tu reliqua mihi enarrare. Alpin Omnes eius regionis homines vigiles existunt, paucissimique somni; Venerem copiosam exercent. licet enim per legem illis plures, tum vxores, tum seruas mancipias habere pro ueneris vsu. Hilares existunt, ociosam quamplurimi vitam agentes, exceptis Arabibus & rusticis, qui

aſperiorem vitam degunt, dulcium balneorum vſum omnes cuiuſuis ſexus & ętatis ibi frequentant, corporis ornatus gratia, atq; refrigerandorum corporum ab itineribus inflammatorum, non minusq; pro demenda corporum illorum humorum plenitudine.

De cauſis cur longæui ſint Aegyptij. Cap. XI.

GVILANDINVS.

AVDIO in Aegypti locis homines viuere longiorem vitam, quàm alibi, quando ipſorum permulti annos plus centum viuant. Communis ferè omnibus ijs habitatoribus vita annorum nonaginta ſolet eſſe. Cauſam igitur vitæ apud ipſos longioris te mihi nunc referre cupio, quando hominis vitam conſeruare, & corrumpere ea, quæ vulgus medicorum res non naturales, & Gal. cauſas conſeruatrices, appellat, quiſq; noſtrum non ignorat. Quę ſunt aer, cibus, potus, motus, quies, ſomnus, vigilia, excretio, atq; retentio, animiq; paſsiones. Ab aliqua igitur harum cauſarum, vel à multis ſimul coniunctis longiorem illorum hominum vitam pendere arbitror, ſed à quibus præſertim id fiat ex te audire deſidero. ALPIN. Aegyptios longæuos eſſe, uiriſsimum eſt, atq; ex cauſis nuperdictis nõ minus: de his etenim Galenus cap. 35. lib. art. med. hæc ſcripſit: Alteratur igitur corpus à nonnullis quidem neceſſario, à quibuſdam uero non neceſſario. Dico autem neceſſario, quæ nulla eſt euitandi ratio, non neceſſario autem reliqua. Nam aerem quidem nos ambientem ſemper attingere, comedereq;, ac bibere, & vigilare, & dormire eſt neceſſarium. Ex his itaq; ea corpora alterantur, ac mutantur, atq; conſeruantur. Quamobrem aerem, cibum, potum, ijs populis longiorem vitã concedere proculdubio exiſtimo. Effectus namque communes à communibus cauſis pendere omnes ſciunt, ob id ab aere, cibis, potuq; longam illorum hominum vitam fieri arbitror, quod aere, cibis, potuq; nihil ipſi habeant inter ſe communius, ſed obſeruato ac cognito ipſorum aere calido & ſiccо inæquali, ſimulque cum cibis, quibus veſcuntur, & etiam potu, anceps ſum an vitæ apud eos obſeruata longitudo ab his pendeat, vel non ab alijs. Teq; idcirco rogo, qui tum aerem illorum locorum, tum

victum

victum incolarum nuper narratum audisti, ac nouisti, cuius hac de re sis sententię mihi manifestare velis. GVILAND. Causam, ob quam hi populi nostris longiorem vitam degant, in primis esse, iudico, sobrium ipsorum victum, abstinentiamq; tum a copia, tum varietate carnium, atque vsum optimæ aquæ Nili fluminis in potu, atque in cibis. Siquidem omnes Europei, qui crapulas, atque vina frequentant, breuius viuunt, Germaniæq; ob id & Poloniæ accolas cœlo Aegyptio contrario vtentes, quia multis carnibus vescuntur, vinorumq; ebrietatibus assidue operam dant, breuiorem agere vitam non est mirum: Pleriq; etenim (vt audio) non excedunt annum suæ ætatis sexagesimum. Contra Lyguri longęui sunt, quam plures enim Genuensium nonagesimum vsque uel centesimum etiam annum attingunt, temperatissime enim viuunt, vinisq; pauciferis vtuntur, atque ebrietates abhorrent. Ob has igitur causas homines Aegyptios longæuos fieri arbitror. ALPIN. Non videntur mihi hæc vsquequaque veritatem continere, neque ita facile te posse medicis persuadere, arbitror vsum carnis & vini esse causam, vt nostra corpora (quæ illo victu assidue vtuntur) sint breuioris vitæ, quàm Aegyptiorum obseruentur, quæ paucissima carne vescuntur, & minime vinis indulgent, aquamq; in potu frequentant. Hoc sane paradoxum ab omnibus iudicatum iri sentio: Namq; quis credet cibos melius nutrientes, probioremque & copiosiorem sanguinem gignentes corporibus breuioris vitæ esse causam, atque alia minus, peiusq; nutrientia, & paucioris sanguinis ad durabilitatem conducere? Hęc certe tibi quoque à veritate alienę esse videbuntur. Quis enim medicorum dubitat, vel ignorat vsu optimarum carnium, optimique vini naturalem calorem augeri, atq; roborari, mutatumq; à suo naturali statu, imminutumq; carne & vino citò reuocari, pristinæque sanitati restitui. In omnibus etiam morbis pręcipuam victus rationem, in qua carnes primum locum sibi vendicant, omnes medici laudant, maximeque vbi uires collabuntur. quibus quam citò probior multusque sanguis gignitur, quo calor naturalis auget ur, atque fouetur. Vinum vero quam citò nutriat, resolutumque calorem restituat, peraugeat & foueat, neminem medicorum ignorare certò scio. Quid igitur dicemus, optimarum carnium, vinique vsum causam esse quin minus corpora viuant, quando eo victu naturę vires augeantur, atq; conseruentur? Hoc profectò qui affirmabunt im-

possibile dicere possibile videbuntur. Gviland. Litem mecum nunc cæpisti pergrauem, cum me proculdubio multum aberrasse hac in re existimes. At nunc etiam edico tibi, dubij causa à me propositum, paradoxum non esse, scilicet homines vsui carnium, viniq; indulgentes minus viuere, quàm illos, qui ab his abstinent, aliaq; in victum assumunt, neutiquam vini potationibus operam dantes. Porrò vt de hoc nunc mihi certior apud te sit fides, conabor rationibus tibi illud persuadere. Nam secus eius regionis hominibus accidit, ac cœli ratione esse deberet: Siquidem calidiorem regionem accolentes citius mori deberent, ijs, qui frigidiora loca inhabitant, ratio vtiq; suaderet, ut hinc non immeritò Nicolaus Leonicenus in lib. Aristotelis de long. & breuit. vitæ hæc scri-
„ pta reliquerit: Asclepiades inter medicos rari nominis memorię
„ prodidisse videtur, Aethiopes quidem trigesimo ętatis anno sene-
„ scere, apud Britanos uero multos ad centesimum usq; & uigesimũ
„ peruenire ætatis annum: quoniam Solis calore apud Aethiopes
„ resoluantur, arescantq; corpora, apud Britanos uero compacta,
„ densaq; fiant cœli algentioris causa, & exhalationi caloris nullũ
relinquant locum. Si viuunt igitur Aegyptij multis annis in calidiori illo cœlo, non ab aere, qui multo calore corpora illa resolueret, aresceretque, sed à uictu longæuos euadere dicendum erit, prę sertimq; à multarum carnium usu parcissimo, atq; ab assiduo & continuo vsu aquæ illiusce fluminis omnium aquarum optimæ. Quod qui dem ex hoc fieri facile sciri poterit. Namq; veluti vsus moderatissimus, quem ipsi sequuntur optimæ carnis, modicum sanguinem generans, natiuum calorem fouet, consumptumq. humidum substantificum reparat; ita immoderatus frequens, uel assiduus, atque continuus non modo humidũ nõ reparat, caloremq; auget, sed eum sępe suffocat, corrumpit, atque dissoluit. Alpin. Quonam modo id fieri poterit, cum multus sanguis genitus humidum substantificum deperditum restauret, caloremque natiuum non minus peraugeat? Gviland. Duobus sanè modis hoc fieri ex me audies, & primo, quoniam multus carnium usus multam sanguinis copiam generat, quæ si reparandę humiditati substantificę, calorique restaurando, & augendo apponatur, tantum abest, ut humidum caloremque ea alimenti copia augeat, ut magis sępe suffocet, atque dissipet. Quo sane modo Gal. dixit in lib. de caus. morb. paruam flammam multo oleo suffocari & extin-

gui.

gui. Secundo quia multa carnis copia in ſtomacho ſuſcepta à calore ipſam alterante, atque in alimentum permutante, vt fiat pro nutriendis partibus alimentum opportunum, omnino vinci, atque mutari non poteſt. ideo illud alimentum non modo calefacit, ſed refrigerat. Hincque doctiſſime Galenus in libro tertio, de temp. docuit, omne nutrimentum, quatenus eſt nutrimentum, calorem animalis augere. & ex hoc fieri, quod ab ipſo calore vincitur, probeque concoquitur, & mutatur in ſubſtantiam partium nutriendarum, vt ipſis omnino ſimilis fiat, quod ibi ita ſcriptum reliquit: Si namque ex nutrientium ſunt genere, ſiquidem vincantur, calfaciunt, ſi non vincantur refrigerant. Et quomodo fiat, in libro de cauſ. morb. cap. tertio, ita ſubiunxit. Immodicum alimentum refrigerare, ſi enim ligna vniuerſim & multa ſupra paruam flammam coaceruaueris, ob immodicę quantitatis exceſſum, ipſam extingues. Quibus hęc etiam addidit: ſic optimi cibi, quique plurimum animali afferunt nutrimentum, ſupramodum aſſumpti morbos frigidos generant. Modica vero ſumpta caro probè vincitur a calore naturali, & ob id natiuo humido ſimilis facta ipſum nutrit, fouet, & auget. eoque aucto vitam quoque foueri, ac conſeruari, certum eſt. Hinc illiuſce regionis populi, quo ad carnium uſum temperatiſſimi, longæui fiunt. Addo etiam plurimos illorum vino non vti pro potu, lege illis interdicto, quod quantum valeat eius vſus aſſiduus & copioſus, ad hominis ſanitatem peruertendam, Galenus ibidem ijs verbis docuit, dicens: Quamquam vinum modice hauſtum, vt quod maxime propriu m alimentum ſit, natiuum calorem adaugeat, tamen morbum attonitum, Epilepſiam, lęſiones motus, ſenſusve immodice ſumptum ipſum facere. Et in ſecundo libro de ſympt. cauſis dixit: tremore corripiuntur, qui ſe vino meraco amplius impleuerunt, vel multis cruditatibus laborarunt, vel longo tempore cibis repleti. Et in tertio etiam de temper. ait: Proinde nec vinum ipſum ſemper animal calfacit, ęque, vt nec oleum flammam accendit, tametſi aptiſſimum eſt ignis nutrimentum, immo, ſi imbecillę & exiguę flammę confertim multum oleum infundas, ſuffocabis eam, prorſusque extingues potius, quam augebis, ſic igitur & vinum vbi plus bibitur, quàm vt vinci poſſit, tantum abeſt, vt animal

calfaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat. Ideo cum illorum locorum accolę ſobrie viuant, lacte, oleribus, fructibusque veſcentes, minimeque in eſu carnium, neque in vinorum potationibus delinquant, mirum non eſt, ſi ipſorum corpora multum ſanguinem gignentia (quod in pleriſque illorum obſeruatur) longam agant vitam. Vinorum generoſiſſimorum vſum temperate etiam adhibitum ijs poſſe prodeſſe non ſatis mihi conſtat, quando non calore pleraque ipſorum corpora indigeant, ſed frigore, ne amplius natiuus calor in bilioſis corporibus exoluatur, ſed retineatur. atque ne ſanguis biliſior magis etiam fiat. Vſus enim illiuſce aquę preſtantiſſimæ multorum illorum corporum ſanguinem, cœli occaſione calidiſſimum, tenuiſſimumq; reddit, atque ipſum cohibet, minusque aptum morbis efficit. Hinc Germaniæ, Polonię, Gallię, Anglię, Flandriæ & aliorum frigidorum locorum quamplurimi, vt etiam dictum eſt, ob aſſiduas ebrietates, quibus aſſidue operam dant, paucis annis viuunt. Multi etiam in Italia quotidie à medicis obſeruantur, qui ob crapulas, & ebrietates, tum pauco tempore viuunt, tum vitam miſerrimam quamplurimis morbis continue afflicti, tranſigunt. Ipſorum alij podagricis doloribus, alij conuulſionibus, vel tremoribus, vel vertiginibus, vel aliquo illorum morborum à caloris naturalis iminutione, atque imbecillitate naſcente, fere per totam vitam vexati.

Ad vitæ conſeruationem aquæ Nili fluminis vſus, num vino ſit vtilior necne.
Cap. XII.

ALPINVS.

QVAMQVAM omnia de longæ Aegyptiorum vitę cauſis te rectiſſime locutum fuiſſe, atque planè de his veritatem attigiſſe certo ſciam, nihilominus liceat adhuc mihi, de eiuſdem aquæ vtilitate dubium aliquod tibi reſoluendum proponere, quando ex ijs, quę nuper in medium propo-

ſuiſti

ſuiſti, aquę vſus ad corporum illorum calidorum vitam producendam, vſu uini accommodatior, atque vtilior eſſe uideatur. Quod ijs contrarium omnino uidetur, quę de uſu aquę Hippoc. & Galenus literis mandarunt. namque apud eos conſtat ab aquę potu corpora parum iuuari. ex Galenoque hæc in libro tertio de
,, rat. uict. in morb. acutis, de uſu aquę leguntur: Tarde igitur iu-
,, re optimo meat aqua, difficulter concoquitur, atque ęgre de-
,, ſcendit, quamquam alioqui & optima ſit, & culpa omni uacet. Hic etiam ex Hippoc. mente docet aquam, quamquam omnium puriſſima ſit, multo tempore manere in ventriculo, fluctuationesque vt plurimum parere, atque in bilioſo uentriculo etiam corrumpi, difficulterque in hepar, thoracem, pulmones, renesque diſtribui: ob idque ipſam, neque ſputum educere, neque vrinam, neque ſudorem, neque aluum ciere, neque ſitim tollere, (quod ipſa moretur in amplis uentriculi inteſtinorumque cauitatibus, nec penitius imas partes permeet, neque eas humectet.) neque alere, neque uires roborare. ſed hypochondrijs ualde eſſe noxiam, præſertim, hepati lienique obſtructis, uel in tumorem elatis. Quamobrem cum hæc de aquę facultate uera utique ſint, quis ille erit, qui non uiderit, aut nouerit, Aegyptios falsò ab aquæ etiam illiuſce uſu fieri longæuos dici poſſe, quando, ut iam audiuimus, pauciſſime ijs corporibus conducere ac prodeſſe poſſit, ſed potius ſit multum incommoda, ac noxia. Quis igitur audebit affirmare, uſum aquæ in ijs corporibus in potu frequentatum vſui uinorum pręferri utilitate debere? nemo, vt arbitror, in medicina initiatus, id affirmabit, quia hoc ex Galeno diffinitum eſt in libro ſexto epidem. comment. 4. text. ſecundo, hiſce
,, vtique uerbis: Siquidem uinum aquę pręſtat, non ſolum ad con-
,, coctionem, quę in uentriculo fit adiuuandam, ſed etiam ad con-
,, cocta diſtribuenda, ad ſanguinem creandum, ad nutriendum, ad
,, lotium citandum, & ad corpora difflanda in rectè ualentibus: Valde itaque hinc dubium uidetur, quod aqua ad potum aſſidue uſitata poſſit corporũ cõſeruationi conferre, quinimò magis contrarium facere eius uſum, ut apud Galenum noſtrum nunc legimus, aqua uinum pręſtare. neque immeritò dictum eſſe, quando aqua neque concoctionem adiuuare poſſit, quod frigida ipſa exiſtat, atque à calidis omnis coctio fiat; neque concoctorum

distributionem, cum minime tenuissimarum sit partium, difficulterque ac tarde uiscera permeet: neque sanguinis procreationem cum ipsa fiat à calido, sanguis enim & ipse facultate calidus dicitur: neque nutritionem, cum ipsa non alat: neque urinarum, sudorumque excretionem, neque corporum diffiationem, quia vt nuperime etiam dixi, tenuissima substantia non constat, qua citò facileque corporis partes penetret, atque transeat: Atque si optimam hęc facere aquam uerum sit, quid de mala dicendum erit? nonnisi pessime conferre ipsam nobis posse. Quam multos enim morbos, sęuissimosque ex earum aquarum usu oriri, in libro de pręuidendis morbis a me dictum est. Sed cum hęc uera existant, quęso quomodo poterit usus illiusce aquę Aegyptiorum longæuitati conducere? Cupio itaque hac in re me ualde ancipitem tuę sententię acquiescere, quam nunc audire expecto. GVILAND. Neque omnibus corporibus aquam improbandam, neque laudandam iudico, quinimò magis credendum, atque affirmandum existimo aquæ usum multis proficuum esse, & multis etiam noxium: Hinc in quibusdam corporibus aquā vino utilitate esse prę ferendam, & in quibusdam uinum aquę. Calidioribus siquidem corporibus, cui dubium erit magis fore proficuum aquę, quam uini usum. quoniam a uini potius caliditate lęderentur, quàm iuuarentur. Quam rem non ego, sed Galenus tuus docet cognosci, ac obseruari pro corporum temperaturarum, habituumque uarietate oportere: quam ob causam, uinum damnat, tum in pueris, tum in ijs, qui sunt calidi humidique temperamenti. quibus aquam multum conferre affirmat, ipsamque pro ijs summe laudat, ut apud ipsum in primo libro de sanit. tuenda cap. vndecimo, legitur: apud diuinumque Hippocratem non minus in libro sexto epidem. comment. 4. text. 15. his pro-
,, fectò uerbis: Per calido natura refrigeratio, potus aqua, quiescere. Et Galen. in eius commentario, dixit Hippocr. eam sententiam fore intelligendam de summe calidis corporibus. quod clarius explicauit in libro quinto, de sanit. tuenda cap. 12. cum
,, dixit: Vinum autem frigidis siccisque naturis vtilissimum esse
,, prius dictum est. An vero calidis, omnibus idoneum non sit, sed
,, utilior his aquę potio sit, sicuti in libro de popularibus morbis,
,, siue Epidemion legimus, nunc existimandum. Fortassis enim

absur-

,, absurdum omnino cuipiam videbitur iuuenem, qui athleticus
,, uel militaris sit, aut etiam fossor, messorve, aut arator vel deni-
,, que, qui robustum aliquod opus exercet, aquę tantum potione
,, uti: atque in hoc falli Hippocratem, cum calida temperamenta
,, aquæ potionem poscere, absolute pronunciet. Mihi uero Hip-
,, pocrates non absolutè id, sed de naturis summe calidis, quę uti-
,, que propter intemperiem tales sint, dixisse uidetur. Et si qui-
sp iam contradixerit nobis, quod ei non uideatur aquę potu cor-
pora iuuari posse, quia ipsa quamquam omnium aquarum sit
optima, multum in uentriculo moretur, fluctuetque, & tarde
meet per corpus, iecurque atque lienem obstructos vel tumefa-
ctos adaugeat, inutilisque obseruetur ad omnem corporis eua-
cuationem, scilicet ad sputorum eductionem, alui, vrinarum, su-
dorumque excretionem adiuuandam, atque non minus ad con-
coctionem & distributionem concocti alimenti, demum quod
etiam ipsa minime corpora alat: Respondebitur, hoc planè verum
non esse, quoniam aquę reperiuntur, quę concoctionem adiuuant,
non minusque alimenti distributionem citò viscera permeantes,
sanguinisque generationi fauent, atque nutritioni, minus, quæ
adiuuant omnem corporis euacuationem. ALPIN. Quo pacto id
esse poterit, quando aquæ facultas frigida sit, quæ semper concoctionem, sanguinis pro creationē, nutritionem, quæ omnia à calorore fiunt, impediet, & substantia pręterea eius crassa sit, difficulterque corpus permeet, qua vtiq; euacuationes promouere posse non
videtur, quando si hæc præstare debeat, necessarium sit, ipsam tenuium esse partium, ut angustos meatus membrorum peruadere
quęat. GVILAND. Aquæ optimæ reperiuntur, quæ neq; insigniter frigidæ sunt, quęq; dulces existunt, quales esse cœlestes Hippo.
in lib. de aere locis & aquis cap. 4. memorię prodidit, qui de his ita
,, scripsit: Aquæ igitur leuissimę, & dulcissimę, & tenuissimæ, ac splen
didissimæ sunt. Non minusq; aquę nuper dictę Nili fluminis clarefactæ, dulces, tenuissimæq; splendidissimæ, atque leuissimæ existunt. Quæ sanè omnes pręterquam quòd ex dulci sapore non
valde frigidę esse creduntur, sunt etiam tenuissimæ, ita, vt celerrime corporis viscera permeent. Audio etenim (quod olim cum
Cayri moram facerem etiam obseruaui) in singulis ferè corporibus ab ipsis epotis aquis statim vel copiosas vrinas, vel sudores, vel

per

per aluum deiectiones obseruari, atq; in hypochondrijs nullam fluctuationem ab ipsis ostendi, loquor de ijs, quæ Cayri habentur, & potantur, quando Alexandrię aquę constent substantia crassiori, quę pessimę existunt, tardissimeque viscera permeant. ALPIN. Confirmo tuam sentẽtiam, atq; me in omnibus corporibus obseruasse, citissime illas aquas Cayri clarefactas, vel per aluũ, vel p vrinam, vel sudorem exijsse, non secus quam serum lactis ac aquę thermales facere obseruantur. Omnes aduenę cum Cayrum statim venerint in primis diebus semper, ob illiusce aquę potum, diarrhęã pati soliti sunt. Mihi vero aquam illam per vrinam, atq. sępissimę per sudorem exire cõtingebat. In ęstiuis caloribus nocte qualibet sæpissime ob sitim intensissimam, qua omnes tunc temporis ex calore ambientis cruciãtur, largissime sępissimeq; ex ea aquę bibebã, à qua semper in copiosissimum sudorem statim erumpebam, ita, ut quoties eius aquæ ebiberem toties semper exudarem. Hyeme vero, atq; alijs annis temporibus non ita calidis non per sudorem, sed per aluum, atq. vesicam aquam illam epotam ferè totam excernebam. Non omittam tibi narrare, me huiusce aquę largissimo potu vsum, a dolore renum uehementissimo atq; acutissimo ex calculis orto sanatum fuisse. Porrò cum interim illo iam dicto renũ dolore afflictus valde sitirem, multa vasa fictilia frigidæ ac purissimę illiusce aquę plena in ferratis meis fenestris aeri exposita prospiciens, vno ipsorum auidissime arrepto, item altero, atq; mox tertio, totam aquam deuoraui. quæ ad minus sex librarum pondere fuerat. à qua assumpta somno, labore doloris defessus, capior, quo paulo post expergefactus minxi, cum multa copia assumptę illiusce aquę quinq; lapillos phaseolorum magnitudine, quibus excretis statim a dolore liber euasi. GVILAND. Perplacet exempla, successusq; hos audiuisse, quos vtique veros esse iudico, cum ea aqua sit tenuissimarum partium, neq; multum frigida, sed potius concoctam esse omnes pro certò habere deberent, cum Nilus totam illam mundi partem permeet, quę omnium orbis terrarum, vt nuper etiam dictum est, calidissima est, atq; terrã habeat pinguissimam cuiusuis frigoris expertem. Itaq; cum hęc vera sint, quisq; nostrum poterit affirmare, epotam eam aquam posse optimi sanguinis procreationem adiuuare, quę summum biliosorum illorum corporum hepatis calorem obtemperando, causa est, ut non bilis

multa

multa, ſed multus temperatus ſanguis gignatur. Iuuabit non minus cõcocti alimenti diſtributionem, ob eius partium tenuitatem, qua quaſcumq; partes corporis penetrat, qua etiam ſubſtantiæ tenuitate minime in uentriculo, aut hypochondrijs moratur, neque fluctuationem parit, neq. hypochondria lędit, quinimo iecori lienique inflammato auxilio eſt. Experientia didici, potum eius aquæ valde conferre melancholicis ab hypochondrijs effectis. Hac eademque ratione ad omnes excrementorum excretiones utilis eſt. An vero nutriat, quando latiſſima ſit apud omnes medicos ſententia, aquam non nutrire, videtur & ipſa ad nutritionem inutilis cenſenda. Sed Aegyptij affirmant contrarium verum eſſe, quia hi omnes aquam illam totam in ſanguinem in noſtris corporibus mutari arbitrantur, ac pro certo habent. Vimque gignendi ſanguinem aiunt obtinuiſſe, poſtquam Dei conceſſione, à Moſe aquę in ſanguinem olim fuere mutatæ. Confirmantque hanc ſententiam, quod cernant corpora pleraque illorum incolarum habitu bene carnoſo, copioſi temperatique ſanguinis obſeruari. Non minusque etiam quod ipſa dulcis exiſtat. quem ſaporem, rem haud plane à nutritione alienam ſignificare dicunt. Sed vtcunque ſit, hoc unum ſcimus, eius aquæ uſu corpora illa optime, ac ſalubriter viuere. & ob id falſam iudico Galeni ſententiam, qua omnẽ aquam noxiam potius, quàm utilem affirmat. ſi enim hoc verum eſſet, quomodo tot infinitarum regionum populi viuere vtique poſſent, continue aquam potantes. Infiniti propemodum ſunt populi tum in Africa, tum in Aſia aquam ſolam potantes, qui rectiſſime ualent; Corporaque habent boni tum ſucci, tum habitus. præſertimque in locis calidis, atque in ſumme calidis corporibus aquę vſus eſt ſaluberrimus. Sed non modo in ſanis, at in ægrotis non minus aquæ uſus adprime opportunus ac utilis obſeruatur. Cum omnibus ferè ęgrotis aqua in potu pro vino ſubſtituatur. Plures exiſtunt, qui uini vſu omnino omiſſo, aquam frequẽtantes in potu, à podagra, alijsque multis morbis præſeruati ſunt. Quamobrem, vt ex dictis concluſionem colligam; dico aqua optimam dari, quæ neque admodum frigida eſt, & quæ tenuiſsima ſubſtantia conſtat, quæq; utiliſsima erit corporibus calido temperamento refertis, ueluti frigidis naturis eadem ratione incommoda, atque inutilis erit iudicanda, in quibus ipſum vinum præferendum abſque dubio erit.

At

At de his ſatis. Ad alia enim à te tranſeundum puto, fortaſſeque his hactenus auditis non foret inutile, neque noſtro ordini auerſum, te nunc eorum corporum morbos recenſere, quando nunc aeris, ipſorumque temperamenta, & victus rationem omnem audierimus. ALPIN. Rectè ſuades, atque nunc tibi morem geram. Quoniam hæc, priuſquam preſidia apud eam gentem vſitata tibi narrare incipiam, nos nouiſſe vtile erit.

De morbis patrijs, & epidemicis, qui apud Aegyptios obſeruantur. Cap. XIII.

GVILANDINVS.

AEGYPTIORVM corpora haud multis malis eſſe obnoxia cogito, quod ipſa aere fruantur ſicciore, qui pauciorum morborum ſolet eſſe cauſa. atque etiam quia eos populos ſobrie viuere nuper dictum eſt, quem victum corpora ab ægritudinibus preſeruate quiſque noſtrum non ignorat. ALPIN. Aliter euenire audies, quando ad gignendos morbos plures alie etiam concurrant cauſe, neque omnes eius regiones habitatores æque viuere poſſunt. Multi enim inopia coacti, quorum numerus ibi ferè eſt infinitus, peſsimis, tum cibis, tum turbida ac putrida aqua ali coguntur. Multi etiam ibi reperiuntur qui vino vtuntur, non modo ex Chriſtianis & Hebreis, qui omnes vinum vt noſtri affectant, ſed ex Turcis etiam aliqui, preſertimque milites, etſi lege interdictus apud omnes Mahometi aſſeclas uini vſus ſit, non tamen a vino temperare poſſunt, ſed longe Germanis, Pollonisque magis vino & ebrietatibus operam dant. Cayri quotidie Turcæ vino ebrios ab aſinis domos ſuas portari conſpiciuntur. Vinis vero plerique vtuntur è Creta inſula, Rhodo, Cypro, aſportatis, que omnium ſunt generoſiſsima, omnia enim alia ex Italia, Corcyra, Zacyntho, aduecta, pre nimio cœli calore, acida fiunt. Quamobrem cum ibi multi malo uictu utantur, aerisque inequalitate, & uenere immoderata, non erit mirum, eos quoque in multos morbs incidere. Proinde non expers morborum Aegyptus erit, ſed quamplurimis, diuerſisque

ac

ac periculosis morbis semper scatebit. GVILAND. Sunt ne apud ipsos multi morbi proprij, vel patrij, quos endimicos Græci appellant? ALPIN. Multi sanè, quales sunt oculorum lippitudines, quas Græci ophtalmias appellant, lepręq; Elephantiases, phrenitides exitiosissimę homines paucis horis perdentes, variolę pestilentes in pueris, articulorum dolores, omniaque genera morborum, quæ a capitis defluxu ad inferas partes excitantur, herniæ, renum & vesicę calculi, phtyses, obstructiones, hepatis lienisq; & stomachi imbecillitates, febres tertianæ, ardentes, hecticæ & pestilentes. GVILAND. Non arbitror patrios ijs solum eos morbos dici debere, cum apud alias quoque nationes ipsi obseruentur, namque in multis alijs locis omnes nuper dicti morbi obseruantur. ALPIN. Verum est eosdem morbos alijs non minus populis esse infestos, sed nō perpetuo tempore, vt apud Aegyptios. Apud multos enim populos ophtalmias vagari aliquibus temporibus reperiemus, non tamen semper. Semper etiā homines herniosi, leprosi, atq; elephantiasi correpti, eaq; præsertim, qua pedes vere pedibus elephantum omnino similes habere cernuntur. Neq; exitiosissimas phrenitides paucis horis ægrotos perdentes vbique reperiri arbitror. quando Gal. in lib. 3. epidem. dixerit, nunquam vidisse phreneticos mortuos ante tertiam diē. nihilominus tribus, quatuorq; horis multos perijsse phreneticos vidi, quorū casus posterius suis locis tibi referam; Neq; singulis annis, ut alibi fit, bis in anno in pueros pestiferę variolæ uagantur, neque continue arthritici quāplurimi homines quales ibi existunt, reperiuntur, neque renum vesicæq; à calculis læsi, neque singulis annis certo tempore uagantur febres pestilentes exitiosę plurimę, neque inumera hominum caterua a cruditatibus stomachi ubique affligitur, ac vexatur. ob quam morborum nuper dictorum familiaritatē, ni Aegypti proprios vel patrios eos appellare volueris, dices tamen ijs populis ipsos esse admodum familiares. GVILAND. Vagantur ne per eam vrbem Cayri isti morbi quandoque epidemici? ALPIN. Ophtalmiæ, febres pestilentes, nuper dictæq; phrenitides, variolæq; pestiferę epidemice grassantur. Alij vero morbi sparsim per vrbem obseruantur, quos spirades Greci nuncupant, quod sparsim, & non gregatim homines peruadant. etsi omnes, quasi endemij etiā sint, siue patrij, quia ceteris alijs morbis nuperdicti ijs populis sint magis familiares. GVILAND. Cupio te nunc illos rursum mihi

clarius

clarius dicere;atque ipsorum causas. Quibus à te narratis,de peste,quæ sæpe eam gentem infestat sęuissimęque deuastare solet, te sermonem habiturum cupio, quod illud morbi genus, quo tempore in ea regione moram traxisti, Cayrum inuasisse, multumq; deuastasse, audierim:ob quam rem te de eo morbo admodum scite ac distincte loqui posse iudico. De patrijs itaque vel de ijs populis familiaribus morbis, qui tum epidemice, tum sparsim grassari per eam vrbem solent,nunc si videtur, edissere.

De morbis Aegyptijs familiaribus deq; ipsorum causis. Cap. XIIII.

ALPINVS.

ALEXANDRIAE autumno grassantur febres pestilentes multæ,lęthales,quæ ferè quamplurimos inuadunt, cum vrinis, pulsibusq; & calore febrili vsq; adeo parum à naturali statu mutatis,vt sæpe medicos atque ęgrotos decipiant. His vero notis pleræq; dignoscuntur;in principio enim vomitus multi biliosi,ac virulenti obseruantur,à quibus cibum assumptum continere nequeunt, assiduisq; corporis agitationibus inquietudinibusq; vexantur, stomachiq. angore anguntur. In plerisque etiam obseruantur multę symptomaticæ deiectiones, liquidæ, biliosæ, variæ,admodum ægreolentes siue fœtentes. Plures cibum abhorrent,neque valde sitiunt, etsi linguæ ipsis sint siccæ,asperę & nigrę. Incolæ quàm aduenæ difficilius corripiuntur, atque ab his intereunt. De harum febriũ causis illiusce vrbis medicorũ uarię sententię obseruantur. Siquidem aliqui ipsorum aiunt, à ventis nasci, qui à proximo vrbis lacu spirant. prope ipsam à meridie positus est Mareotis lacus circuitus, ut audio,tercentum mille passuum. Hi etenim venti vim habent putredines insignes gignendi, quod putres veneficosq; è lacu halitus Alexandrię populis ipsi inducãt. Aliqui earum pestiferarum febrium ortum referunt potius in putridos,ueneficosq. halitus,qui a subterraneis urbis locis, cauitatibusve palustri ac pessima aqua plenis aeri tunc permiscentur. Vrbs etenim hęc tota super columnas marmoreas numero fermè infinitas posita,& fundata est,ita, vt fundamenta hę solum omnium domorum sint, quæ vniuersam omnium ędium basim substentant. Ideo loca urbis omnia subterranea, inania, ac peruia existunt,ut

affir-

affirmant aliqui, quod ea causa factum fuit ne vrbs terremotibus forct obnoxia, uel alijs ita putantibus, vt aquã à Nilo flumine per riuum in vrbem manãtem populus copiosissimam in subterraneis illis magnis cauitatibus ad vsum per annum conseruaret. Singulis annis peraucti fluminis illius riuus Caleg vocatus in eas urbis cauitates copiosissimam aquam euomit, quę sequenti ęstate fere tota absumitur, paucissimaq. remanet, quę cœnosa, palustrisq; reddita, corrumpitur, veneficaque euadit, ex qua tunc multi uapores sursum eleuati aerem inficiunt, qui pestiferarum illarum febrium causa existit. Quod neq. credendum est, quia eo tempore ad paucam eam palustrem aquam corruptam multa noua ex riuo nuper dicto tunc aucti fluminis accedit, atq. ei permiscetur, quę vtiq. antiquę vitium, malamq. qualitatem corrigit. Quamobrem veriorẽ causam illarum febrium esse autumo, vt multi alij quoque confirmant, vsum eiusdem nuper dictę antiquę aquæ in potu & cibis. Quę sanè quousq. nouę confluxę aquæ, qua ipsi ad cibũ & potum tunc vti incipiunt, permista remanet, antiquaq. rectè non residet, neq. ab ipsa noua illuc confluxa rectè expurgetur, semper vsum suspectum ad eos sæuos morbos reddit. Ideo antiqua aqua palustris ac putrefacta nouę permista, ad potum & cibũ vsitata insignes parit in corporibus putredines, a quibus eę pestilentes febres facile fiunt. Hyeme oculorum lippitudines ibi multæ vagantur. Plurimasq. Cayri easdemq. per omnia anni tempora homines inuadere ob nitrosum puluerem, qui continue oculos habitantiũ mordicat, & calefacit, obseruatur, longe maximeq. in ęstatis prima parte, quo tempore calor ambientis summe calidi oculos inflammat: taliumq. morborũ numerum auget. Sparsim uero per urbem toto anno hę oculorũ inflammationes vagantur; atque epidemice plurimę in prima ęstatis parte calidissima, inęqualissimaq. ob uehementissimũ Meridionalium ventorum calorem, atq. inflammatarum arenarũ copiam, quę ab ijsdem uentis asportantur. Eo enim anni tempore è centum hominibus quinquaginta saltem lippientes obseruantur. Multi pręseruantur ab his inflammationibus oculorum sępius in die algida aqua large oculis lauatis, vel rosacea, vel aliqua stillatitia, uel Nili fluminis clarefacta. Eodem etiam tempore uagantur ibi epidemicæ febres pestilentes multæ, atque ille apud eam gentem horrendissimus morbus, Dem el muia ab ijs appellatus, qui paucissimis horis hominem perdit:

Cuius

Cuius morbi exemplum, quod apud nos nouus sit morbus, tibi subiungere optimum esse puto. Erat enim Cayri Paris Christianus omnibus Venetis mercatoribus valde familiaris, annos natus quinquaginta, temperamẽto bilioso & habitu gracili, qui vna die febre ephimera, cũ capitis dolore correptus, sudauit toto corpore multum, excepto capite, quod nihil sudauit. & febre integre est iudicatus. Dolor tamen capitis remansit citra febrem: mane surrexit, solitaque munia obiens illa die, circa finem dolore perseuerante, in angulo dextri oculi rubor cum paruo tumore apparuit sine dolore. noctem prę solito dolore inquietam duxit, rubor tumorque oculi euanuit, disparuitque, tamen erat immunis omnino à febre, nullisque alijs symptomatis, quàm à nuper dicto dolore ipse conflictabatur, absque ullo calore febrili, circa meridiem ab assumpto cibo dolor perauctus est, cæpit febrire, fereq; continuò vomuit cum cibo multa virulenta, uocemque defecit articulata, ualde gemebat, non audiebat, non cognoscebat, manuum phrenitica gesticulatio, flocos carpebat, festucasque colligebat. Respiratio magna, inęqualis, rara per interuallum edita. Pulsus inęqualissimi, durissimi: Hypochondria in principio mollia, mox valde tensa. Extrema omnia frigida, minimeque recalescentia, stertebat, conuulsus est. atq; subitò obijt. Tempus, quo febrijt ante exitium, non excessit duarum horarum spacium. Plurimi sunt, qui hilariter cęnantes instar apoplecticorum moriuntur, phreneticorum etiam notis. Notę uero humorum cerebrum lędentium mistę sunt ex his, quę tum pituitam, tum sangninem, vel bilem significant. Omnesque simul significare videntur cerebrum eiusque membranas inuasisse, tum calidos humores, tum frigidos, esseque ex his factum apostema. Quam sanè affectionem mistam ex lethargo & phrenitide iudicare possumus, illamque esse, quam Greci Tiphomaniam appellant. Quod & nomen non minus arabicum, quo hunc morbum nominant, explicare videtur. Nam ipsi hunc morbum appellant Dem el muia. Dem enim arabica lingua sanguinem denotat, & muia, aquam, quasi morbum dixerint ex sanguine & aqua genitum. His humoribus coniungitur insignis putredo ac venefica qualitas, quæ subitanei atque celerrimi exitij est causa. GVILAND. Neque mirum uidetur mihi in hoc anni tempore, quod est prima ęstatis pars, fieri huiusmodi cerebri inflammationes ex illis humoribus pituitosis ac biliosis, uel ex sanguine,

ne,atque ipſas ſequi etiam exitium quàmcitiſſime, Nam cui medico erit dubium, primæ illiuſce æſtatis partis conſtitutionem auſtrinam, ſumme calidam potuiſſe ſubuehere à toto corpore in cerebrum maximam partem humorum,in illis corporibus exuperātium. Quo ſanè modo Gal.in lib.1. epidem. multos phrenticos factos fuiſſe narrauit ex bile,ab auſtrina cōſtitutione in caput ſublata. Proprium eſſe videtur auſtrinorum ventorum ſubuehere ad caput humores, atque ipſum lædere. vt Hippoc.in lib.3.aphoriſm.docuit cum inquit: Auſtrini flatus caput grauantes, ſenſuſque hebetantes, & reliqua. Cum itaque in illa æſtatis parte uigeant huiuſmodi venti calidiſſimi, mirum non erit, ſi capita illorum habitantium quam maxime lædantur, ab eoq; calore inflammentur, multisq; ab ipſo calore in caput ſublatis vaporibus, humoribusque à toto corpore in caput à calore, veluti à cucurbitula attractis,atq; inſigniter putrefactis ab immodica ambientis aeris caliditate. Exitium etiam tam cito illos ſequi,non à copia illorum humorum,ſed à uenefica qualitate, ab intentiſſima putredine genita, vt Gal.in phrenitico ab Hippoc. in lib.3. epidem. deſcripto tribus diebus mortuo accidiſſe, memoriæ prodidit. Illiuſce vero vrbis habitatorum corpora ſuccis pituitoſis,& multo ſanguine, atque amara bile abundare à te ſuperius dictum eſt. Sed hęc obiter dicta à me ſint, tu uero ne vacuum tempus demus,perge reliqua mihi enarrare. ALPIN. Rectè ſanè dixiſti, ex illa primæ æſtatis conſtitutione auſtrina ſumme calida, inæquali, atque ab eorum humorum exuperantia fieri eas cerebri lęthaliſſimas inflammationes, in quibus fit paucis horis exitium,ob intenſiſſimam putredinem illorum humorum,cerebrum, eiusq; membranas peſſime oblædentem, ita,ut ſubitò virtus animalis extinguatur, atque cum ea vitalis, continuò communicata cordi à cerebro læſione, ſingulis annis ſemel Aegyptij hoc malo conflictantur. aliquibus annis plus,ubi plus à Campſinis ventis moleſtantur,atque ubi minus ij perflant,minus etiam id morbi genus ipſi patiuntur, quo innumeri ſemper intereunt. Eodem etiam tempore graſſantur in pueris plurimę variolę peſtiferę, contagioſę,quæ oriuntur à uneficis uaporibus in aerem tunc à putrida aqua riui fluminis,Caleg vocati,ſublatis. Singulis etenim annis aucto eo flumine ad altitudinem decem & octo cubitorum, aqua ab ipſo in riuum Caleg vocatum ingreſſa, perque ipſum tranſiens, totam urbem per-

com.1.in text.73.

aphor.5.

meat, fluitque semper per ipsam à tempore, quo Nilum nuper dicta altitudine auctum esse dixi, quousque flumen ipsum crescere desijt, quę, finito augmento fluminis, in alueo Caleg remanet, pauloq; post stagnans facta, putrescit, viridisq; primo cernitur & mox nigra, admodumq; fœtida apparet. Cuius putredo contracta inipsa (quando fluminis augmentum terminetur mense Octobri, vel ad summū Nouembri, & Iunio rursum mēse augeri incipiat) adueniente prima æstatis parte, adhuc magis augetur, intensęque putri reddita, halitus in aerem exhalat corruptos valdeq; ueneficos, à quibus aer infectus, pueros omnes partem riuo proximam habitantes in pestilentes eos morbos incidere est causa. Quam ob causam omnes ciuitatis habitatores illam riui partem habitare timentes, ne ipsorum filij ab illo venefico aere moriantur, alio cōfugiūt. Hæcq; sunt mala, quę Cayri epidemice grassari solent. Multa alia existunt, quę sparsim multos offendunt, quales sunt leprę, elephantiasis, herniæ, arthritis, cattarrhi maligni ad pulmones, phtyses, viscerum obstructiones, inflammationes, & scirrhosi tumores, stomachi cruditates, flatus hypochondriaci, melancholiæ, renum vesicæq; calculi. Lepra atq; Græcorum elephantiasis in multis pauperibus semper cernitur. qui inopia aquam cœnosam, semi putridamq; epotant, atque pro victu carnem bubulam, camelorumque & pisces salitos semiputres, in stagnisq; lacubus, captos. caseumque quendam immodice salitum ac semiputrem (est enim is omnium ciborum pauperibus familiarissimus, tum quia ob insignem salsedinem illorum appetitui sit acceptissimus, tum etiam, quia ibi vilissimo pretio venditur. hunc Gibnehalon appellant. Ex quo victu ipsorum corpora multum sanguinis fœculenti, perustæq; flauæ bilis, & pituitæ crassæ, viscidæ, salsuginosæ generare ac coaceruare, necessarium est. à quibus humoribus, ad cutim protrusis eos excitari morbos cuilibet nostrum manifestum est. Vagatur & altera elephantiasis, vt nuper etiam dictum est, qua correpti, pedes multis magnis duris tumoribus tumidos magnos atque deformes habent, pedibus elephantium maxime similes, cruribus tumefactis etiam coniunctos, quibus tamen æger nihil doloris sentit, sed ad ambulandum ineptus redditur. Multos uidi ipsorum, qui ipsis pedibus calceorum loco ligneis capsulis indutis, incedebant passu lentissimo ac difficillimo. Hoc morbo correpti multi Cayri cernuntur, ex malo victu, quem affectant, scilicet

licet ex piſcium Nili, ac multorum lacuum ſtagnantium, ſemiputridarumque aquarum, & colocaſſiæ radicum, bammiæ, melochiæ olerum uſu, quo multam pituitam craſſam, lentamque gignunt, quæ ad pedes defluxa illos ſcirrhoſos ædamatoſosq; tumores pedibus creat. Non minusq; multas carnoſas hernias parit. Atque ab hac eademque cauſa inumeris fieri viſcerum obſtructiones, tumoresq; ſcirrhoſos arbitror. Herniarum omnes ſpecies ibi ſemper uagantur, plurimæque magnæ anguriæ magnitudine cernuntur. Autumant, aquoſas oriri ab vſu aſſiduo illarum anguriarum, quas appellant Batechel muia. Hęc anguriarum ſpecies intra corticem non pulpam, vt in alijs viſitur, ſed ſolam aquam dulciſſimam cum ſeminibus obtinet: quarum aquam, (cui in illis caloribus omnes libentiſſime indulgent,) aſſidue ebibitam ad teſtes deſcendere ob partium ipſius tenuitatem, atque ſcrotum implere aiunt. Ex flatibus non minus multæ herniæ obſeruantur ab imbecillo calore ſtomachi, ab vſuq; leguminum, radicum, fructuumq; à quibus multi craſſiores flatus ortũ habent, qui multis hypochondria quoque tendunt, atque alias etiam partes. Ab vſu aſſiduo aquę in potu, & crudorum frigidorumq; fructuum, olerumq;, & ab immodica venere, uſuq; frequenti dulcium balneorum, & ab intenſis cœli caloribus pleriſque ſtomachus frigidior redditur. Hincq; multi illorum aſsiduas ſtomachi cruditates patiuntur, quorum numerus ferè infinitus Cayri conſpicitur. Ego enim cum in via (vt apud ipſos conſuetudo eſt, vt ſemper cum obdiam alicui medico fiunt, ipſi brachium porrigant, vt pulſus tangat, etſi ſani omnino etiam ſint, atq; ab eo intelligant ipſorum ſtatum vel ſanum uel ægrotũ,) mihi aliquando neceſſe fuiſſet cuiuſpiam Turcæ Domini pulſus tangere, vt ei corporis ſtatum detegerẽ, hac arte ſum vſus, vt (quando omnes ferè eius loci homines opinentur, pulſus obſeruatione medicum poſſe, uſque etiam anularem, ut ita dicam, digitum manus dolentem dignoſcere.) ſemper inſpecta facie naturalem ſuum colorem, habitum, figuram habente, poſtquam pulſum recte tetigiſſem, dicerem illum rectè ſe habere quoad ſanitatẽ vniuerſi corporis, ſed tantum omnium ipſius corporis partium ſtomachum non omnino ſanum, ſed ſępe à cruditatibus læſum, qui frigidior imbecilliorque ſit, nequeatque cibos omnes probè concoquere. ſemperq; hac arte uſus plurimum honorem apud ipſos ſum conſecutus, qui me optimum medicum inde crederent. Arthritici

multi ibi existunt, ex multis humoribus crudis, quibus ob uictum pleraque corpora abundare superius dictum est, & à multis etiam frigidis flatibus in articulos decumbentibus, à capitisq; distillationibus creberrime ab inequalissimo, tenuissimoq; aere caput maxime lędente, excitatis, ad articulos delabentibus. A qua uero causa multi habeant articulos imbecillos, atque ad suscipiendos humores faciles, non est scitu difficile, quando illi utuntur immodica venere, & frequentissime dulcibus balneis, quę quanto articulos debilitent, atq; laxent, tu recte nosti. Accedit etiam multa hyemalis aeris frigiditas, quę ob tenuissimum siccumq;, inæqualemq; aerem vehementior quàm sit, à corporibus sentitur. Demũ consuescunt etiam multi uestibus ijsdem tantum uti hyeme, quibus utebantur per ęstatem, & multi nudis pedibus tota hyeme ambulant, quę omnia articulos lędere scimus. Renes permulti contraxerunt ex immodica uenere ualde calidos, ac debiles, in quibus cum multa confluat, ea qua corpora illa scatent, cruditatum copia, non erit mirum eos sępissime calculis conflictari, & vlcera etiam in ijs pati. Calculorum etiam maxima ijs occasio esse solet, aqua non rectè purgata, clarefactaque, quę quia diuretica est, facile ad renes permeat, terramq; secum ducit, quę amplius calore siccata, in calculos mutatur. Hiq; morbi omnes existunt, qui sparsim per urbem illam semper vagantur. Gvilland. Scio etiam ibi multos melancholicos reperiri, quos sanctos multi esse autumant. Alpin. Innumeri ij propemodum existunt, qui uitam agere omnino a peccatis immunem profitentur, sanctitatemque habere existimantur, atq; viuunt in locis asperis Deo seruientes, moreq; Hęremitarum. Hiq; in summo honore, apud omnes Mahometis asseclas habentur. Diuitias spernunt, & mundi uoluptates ac cõmoda fugiunt, abhorrentes uitam inhonestam, cœlibemq; amplexantes. Humanissime cum omnibus cuiusuis religionis se gerunt, errores omnes acriter accusantes, mundumq; homini esse miseriam prędicant. Mæsti semper existunt, à Deo multa supplicia ob mortalium flagitia expectantes. Habent corpora nigra, squalida, gracillima mumiarum arefactis corporibus omnino similia. Quæ melancholica existunt, consumpto calore naturali ob immodicum ambientis calorem, & tenuissimum uictum, assiduis vigilijs ac laboribus multis. Sed his nunc finem imponamus, quando opportunum tempus sit, de peste illorum locorum nunc loqui, de qua nihil in

narran-

narrandis morbis Aegyptiorum meminimus. Sępe tamen ipsa ea loca, Cayrumq; maxime atrocissime deuastat, ipsorumque gentem depascitur.

De peste, quæ sæpe loca Aegypti inuadit, atq; atrocissime deuastat. Cap. XV.

GVILANDINVS.

AEGYPTIORVM loca sæpissime à peste atrociter deuastari multis notum est, atq; illā ex proximis finitimisq; locis sępe in illa asportari, in ipsisque sponte rarissime nasci, neq; multos latet. Sed tu de ipsa verius, qui ipsam rectè obseruasti loquere. ALPIN. Illiusce gentis pestem alijs omnibus sæuiorem, atrocioremq; esse existimo, pro erronea Turcarum Aegyptiorumque credulitate, qua omnes pro certo habent, singulis à Deo pręconstitutum esse exitium, exitijq; qualitatem, ita, vt, in bello morituros nullo pacto à peste interrimi posse arbitrentur. & solum peste eos mori posse, quibus quidem ab ipsa exitium præfixum sit. Qua vana credulitate omnem pestiferum morbum negligunt, atq; parui faciunt, nihilq; ab eo timent, pro certo credentes, si illis vitam eo morbo finiendam distinatum sit, quin ab eo moriantur nullo pacto ipsos posse effugere, neq; in bello, neque in mare, neq; alio modo mortem sibi pertimescendam. Atque hinc peste Aegyptum depopulante, vrbem Cayrum sæuissime depascēte, nemo ipsorum in ipsa fugam arripit, neque una cum peste infectis versari timet, neq; vestibus, alijsq; lancis, lineisq; pannis pestis contagio infectis uti abhorret. Vestes enim, aliaque peste interremptorum defunctorumq; suppellectilia, subito in emporijs publice venduntur, & quod magis mirum videtur, quisque ea emit absq; ullo pestilentis contagij timore. Quæ sanè lues nullo pacto ab ijs formidata, cum de ipsius cōtagio nulla habeatur ratio apud ipsos, fit vehementissima, sęuissimaq; per vniuersam vrbem citissime expanditur, & disseminatur, tantamq; tyrannidem in ipsos ac stragem exercet, eius contagio ob hominum hac in re negligentiā, in plurimos propagato, mirumq; etiam in modum aucto, vt Cayri anno à Virginis Beatissimæ partu 1580. sex septemve tantum

menſium ſpatio quingenta millia hominum, vt audio, peſte perierint. Hoc boni habent ibi peſte infecti, atq; ægroti, quòd à nullis deſeruntur, quinimo medici omnes peſte correptis libere [non ſecus, quam alijs in omnibus morbis, medentur, citraq; ullum timorem aſtantes ipſorum curam habent, non ſecus quàm ęgrotis ab alio ſalutari, minimeq; contagioſo morbo facerent. GVILAND. Mira loqueris, at ſuæ ignorantię à peſte exitium ſubſequens illis pœna fit, ac ſupplicium. Quid ſtultius eſſe poteſt, quàm oculis cernere peſtilenti contagio plurimos interremptos eſſe, atque non credere, vel dubitare ſaltem ſibi ipſis idem contingere poſſe, quaſi credere nequeant ignem omnia combuſtilia comburere poſſe. Certe ſtultiſſima ea eſt opinio, planeq; erronea ac falſa, quam non immeritò apud eam ſtultiſſimam gentem multorum hominũ ſtrages, ac ruina ſequitur. Quid etenim, non ne naturę etiam repugnat, dicere quoslibet homines ab excellenti aliqua putredine affici non poſſe, quamquam non ęque omnes corripi ab ea poſſint. prædeſtinatamq; cuilibet exitij qualitatem eſſe, liberaq; non eſſe animalia, at ad particularem moriendi modum prędeſtinata. Cæterum hęc omittamus, quando huius diſputationis hic non ſit locus. Nunc ex te audire cupio, illorum locorum peſtilentia à qua cauſa fiat, atq; vtrum ab aeris putridi inſpiratione ex ſtagnantibus lacubus, vel ab inſigni, vehemẽtiſſimoq; calore corpora, ob prauũ victum peſſimis multis humoribus ſcatentia inſigniter putreſcant, vel demum ſi peſtis aliunde contagio illuc potius aſportetur.

ALPIN. Plerumq; peſtilens contagium in Aegyptum ex multis locis peſte infectis aſportari ſolet. Rariſſimeq; ab aeris uitio peſtis illa naſcitur. & hoc nonniſi vbi Nilus immodice ea loca inundat. Aqua etenim longiori tempore terram occupante fit, ut vniuerſum illud ſolum lacus euadat paluſtris ac ſtagnans, qui accedente primę ęſtatis calore auſtrino, multo inſigniorẽ recipit putredinem. Vel aer illorum locorum ſuapte natura calidus, & ſiccus fluminis larga Nili inundatione perſeuerante, immodice humidus redditur, quod aeris temperamentum ad gignendam peſtilentiam eſſe valde opportunum ac facile Gal. in 1. lib. de temp. memoriæ prodidit. Ab halitibus uero putridis ac corruptis paluſtrium locorum Aegypti, lacuumq; aquarum corruptarum ſingulis annis ſi multi eſſent, quales ſequi ſolent immodicas fluminis inundationes aliquando ibi factas, peſtis annis ſingulis ibi ex aere fieret. Ex ca-

liditate

liditate aeris immodica peſtilentiam obortam fuiſſe nemo hactenus ibi uidit. Obſeruatum vero eſt, ab inſigni aeris calore potius omne peſtiferum contagium extinctum eſſe. nunquam tamen à calore primę ęſtatis, quod ſua inęqualitate, atque calore ſuffocante potius putrefactionis generationi non parum faueat. Plerumque igitur id genus morbi ibi contagio ex alijs locis aſportari ſolet, rariſſimeq; ab aeris vitio. Neque minus verum eſt, per ſeptennium ibi peſtem naſci, uel reuiuiſcere. Ex tribus vero locis pręcipuè peſtis in Aegyptum accedit, ſcilicet ex Græcia, Syria, & Barbaria. Quę autem ex Gręcię, & Syriæ locis illuc uehitur, Cayrumque corripit, ſatis mitis, & minus fera pauciores homines interimere obſeruatur, breuique tempore tollitur: Sed quę a Barbaricis locis in eam urbem inuehitur, omnium eſt pernitioſiſſima, ſęuiſſima, longiſſima, plurimos populos depaſcens, atque ſtragem multam ipſis inferens. Qualis fuit, quæ Cayrum, ut ſuperius etiam dictum eſt, anno 1580. ex Barbaricis locis menſe Octobri inuaſit, ſęuijtque per uniuerſam eam urbem atrociſsime, tantamque ſtragem intulit, vt ad Iunium uſque menſem (quo tempore peſtis contagium, qualecumq; ſit, deſinere conſueuit, perijſſe dicantur ad minus quingenta millia hominum. GVILAND. Forſitan id contingere maioris minorisque illorum locorum ab vrbe iſta diſtantię ratione dicendum erit. Quando Barbarica ea regio Aegypto, tum proxima, tum contigua ſit. aliaque loca Gręcię & Syrię, prę-ter quod diſtant, etiam ipſa ab Aegypto mare quoque ſeparata ſunt. ALPIN. Minime profectò huiuſce rei cauſa eſt, locorum ab vrbe Cayro diſtantia, quoniam etſi vrbs Bizantium, à qua ſępiſſime peſte infecta peſtilens contagium aſportatur, ab ipſa Aegypto multum diſtet, tamen ut tu probe noſti, Syria multo propinquior eſt, quam Bizantium. Cur itaque contagium peſtilens Cayrum ex Barbaricis locis aſportatum diu afflictet, miſerrimeq, vrbem hanc diruat, & deuaſtet, eiusq; omnem ferè populum depaſcatur, atque ex alijs locis nuper dictis aſportatum minus ſęuire ſit obſeruatum, breuiusq; tollatur, & minorem ſtragem pariat, ex te nunc audire deſidero, qui altioris in abditis naturę arcanis contemplationis te nouerim. Ideo iſtuc ex te diſcere expecto.

Cur peſtis contagium ex locis Barbariæ Cayrum importatum, diuturnius ſit, & magis exitioſum experiatur eo, quod ex alijs omnibus locis prouenire obſeruatur. Cap. XVI.

GVILANDINVS.

NE videar nunc propoſitæ dubitationis laborem velle ſubterfugere, etſi rectius ad te is ſermo attineret, qui in ijs locis longiorem quàm ego moram traxeris, nihilominus non deſinam tibi ſatisfacere, de propoſiti dubij cauſa meam ſententiam in medium proferendo. Cauſam itaque cur peſtis ex Barbaria illuc profecta, ſit diuturnior, ſęuior & exitioſior, exiſtimo eſſe præſtantiam excellentiamve peſtilentis illiuſce putredinis, cuius contagium ueſtibus lineis, laneisq; multis pānis (quas merces plurimi ab ijs locis Cayrum ſæpe aduehunt) aſportatum, ob eam cauſam excellentius eſſe, atq; citius eos inuadere, multamq; in ipſos tyrannidem exercere, diutiusque vigere poſſe ratio expoſtulat. Putredine igitur peſtis Barbariæ locorum exiſtente pręſtantiori, venenoſum ipſius contagium aſportatum validius ſęuiusque eos populos inuadere, quā ex locis Græciæ Syriæq; illuc profectū, quodq; fiat in his locis peſtis, eiusq; uenenum non ita excellens, non eſt mirum. ALPIN. Veram fanè nuper propoſiti dubij cauſam dictam ex te fuiſſe exiſtimo, ſed nondum tamen dubium explicatum ac reſolutum eſſe videtur. Quando non demonſtraueris quam ob cauſam peſtis Barbaricæ putredo vehementior ſit dicenda ac iudicanda illa, quæ in Græcię, Syriæque locis obſeruatur. Multoq; magis, quod facile aliquis dicere poſſet, Græciæ & Syriæ, peſtis putredinem Barbarica maiorem potius iudicandam, quoniam vtręque hæ regiones aere vtuntur minus calido, multoque humidiore. Quem quidem aerem ad excitandam peſtilentiam eſſe aptiſſimum & facillimum Gal. in 1. lib. de temp. & in primo de diff. feb. teſtatum reliquit. Hinc Ariſtoteles in libro 3. de hiſt. animal. dixit, corpora ſanguinea, quod alijs ſint temperantiora facilius computreſcere. & Hippo. in 3. lib. aphoriſ. docuit putredines humidis temporibus & pluuioſis fieri, atq; uideri. Quas quidem

aphor. 11. & 16.

aeris

aeris qualitates magis habere Grçciam, atque Syriam, quàm Barbariam multi nouerunt. Nam scimus, Barbarię aerem cœli calidissimi ratione calidissimum, atque siccissimum esse, & Grçcię, Syrięque illo temperatiorem, atque humidum magis. ob id eorum locorum corpora ad putrescendum erunt valde apta, & facilia, atque ipsorum non minus putredo illa erit excellentior, quę in Barbarię corporibus excitatur. quia vt etiam nuper dictum est, sicciora illa sunt corpora, minusque ad putrescendum apta, quinimò magis vt putrescant ualde difficilia. GVILAND. Hoc tamen non est ita facile credendum, quando calidioris sicciorisq; corporis putredo longe multo difficilior, mea quidem sententia, ea sit iudicanda, quę in corporibus minus calidis & humidis, ad putrescendum facillimis ac aptissimis excitatur. Quæ res tibi clarior uidebitur, si me altiori magis stilo ipsam contemplari siueris. ALPIN. Nihil est, quod ego nunc libentius magis faciam, quàm te de eadem re loquentem, audire. sermo etenim tuus mihi semper nõ minus pro tua doctrina utilis, quam gratus esse debet. GVILAND. Neminem nostrum esse arbitror, qui ignoret, pestem siue pestilẽtiam esse corporum ingentem ac summam putredinem perniciosissimi veneni qualitate prędita, quę sęuissimam stragem in loca ab ipsa infecta inducit. Quam duplicem habere causam, ex qua fit, cognoscitur, scilicet putrefaciens, atque putrescibile, siue causam efficientem, & materiam. Quæ efficiens sit causa non est scitu admodum difficile, quando omnes medici affirmẽt, ipsam esse calorẽ nõ naturalem, siue extraneum, naturali contrarium, planeq. inimicum. Naturalis enim calor corpus conseruat, & quicquid in ipsum agit conseruationis causa agit. Extraneus vero, innaturalisque ad corruptionem omnia operatur, atque hic est, qui putredinem efficit, naturalem calorem corrumpendo ac dissipando, cum ita comparatũ sit, Galeno in 4. lib. de simp. med. facult. docente, ut res quęlibet in propria seruetur natura ex calore proprio, quo dissipato necessaria sequitur corruptio, cum humores nequeant proprio calore destituti, imputres manere ac seruari, ut in lib. 2. de differ. feb. Gal. scripsit, inquiens: Neque enim fieri potest, ut aliquis quispiam ex humoribus talis permaneat, qualis erat ab initio, ne dum qui ita deprauatus, ut naturæ cultum non amplius suscipiat, sed alterum omnino sequitur, ut scilicet coquatur, apponatur, assimiletur solidis partibus animalis, aut corrumpatur, & putre fiat. Qualis

cap. 14.

cap. 8.

vero

cap.9. vero ſit hic calor in eodem libro, his verbis ſubiunxit paulo poſt
,, inquiens: Nam recte ſentire uidetur Ariſtoteles, ab aliena cali-
,, ditate oriri putredinem. vocat autem alienam, externam non in-
,, ſitam, neque natiuam in quocumque genere rerum, nam hęc con
coquere apta eſt, externa autē corrumpere & putrefacere. Naſcit
uero hic calor, uel extrinſece, uel intrinſece; Extrinſece ab aere im-
modice vel calfacto. ob quā cauſam aere exiſtēte immodice calido
etiā putredines propagantur. Hincq. fortaſsè Gal. in li. 3. de tēp.
,, dixit: At quę corporis noſtri naturam putrefaciunt, calida po-
teſtate exiſtunt. Ex quo quidem aeris calore interdum ortū fuiſ-
cap.4. ſe peſtilentiam in hunc modum in primo lib. de diff. feb. teſtatum
,, reliquit, dicens: Contingit autem quandoq; pręcedere ambien-
,, tis aeris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea peſtilen-
,, tia, quę Athenienſes inuaſit, ut Thucidides inquit: Sed in tugurijs
,, ſuffocantibus æſtatis tempore habitantium corpora corruptione
laborant. intrinſece vero calor hic extraneus excitari ſolet, prohi-
bita caloris naturalis reſpiratione. quod ſignificant omnes putri-
dæ febres, quas à putredine humorū ab obſtructis uaſorum mea-
tibus orta excitari ſolent. Omnes enim humores, ſiue craſſitię, ſi-
ue copia obſtruentes, aliquo tempore neceſſario putreſcunt. Fit
etiam à quocumque calore immodico naturalem diſſipante, atq;
corrumpente. Per calorem etiam extraneum nos intelligere de-
bemus, omne illud, quod naturalem calorem diſpergit, ac extin-
guit, ut halitus uenenoſi, non tantum caliditas aeris immodica,
quę ad putreſcendum concurrit ſolum in corporibus, quę multis
peſſimisque humoribus ſcatent, non tamen ſemper. Hęcque de
cauſa effectiue putredinis à me obiter dicta ſint. De eo uero, quod
putreſcit, dicimus, humores omnes, omnesq. corporis partes pu-
trefieri poſſe, calore ipſarum naturali ab extraneo corrupto & diſ-
ſipato, uel eodem ipſo etiam calore partis natiuo vincente mor-
boſam cauſam, quam putrefactionem noſtri ſuppurationem &
concoctionem appellant, quarum illa in abſceſſibus ſuppuratis, &
hęc in febribus putridis obſeruatur. Altera uero putrefactio, quę
fit natura uel in parte, vel omnino ſuperata, ut in uehementiſsimis
inflammationibus, quę in cancrenas, ſphacelosque, diſsipato ac
extincto proprio partis calore ab extraneo, permutantur, obſeruа-
ri ſolet. Omnes itaque tum partes corporis, tum humores com-
putreſcere poſſunt. ALPIN. Crediderim ego humida quę tantum

exiſtunt,

existunt, posse putrescere, at sicca nequaquam, cum putredo sicco potius tanquam contrario tolli obseruetur, ut Gal. in nuperrime
,, abs te recitato libro ita scripsit: Promptissime enim putrescunt,
,, quęcunque calida ac humida, & multa sunt in calidis locis, nisi
,, difflari, simul ac refrigerari contingat. & in primo lib. de temp. ait: cap. 4.
,, Deprehendas ex Borea (qui siccus natura & frigidus uentus est)
,, omnia quam diutissime imputria durare. Contra putrescere fa-
,, cillime austrino flatu. Est enim is ventus calidus & humidus.
Idemque affirmauit in primo lib. epidem. his utique uerbis: Au- comm. 2. text. 62.
,, ster dissoluere corpora consueuit, humoresque fundere, adeoque
,, putrefacere simul, ubi cum largioribus sit coniunctus imbribus.
At manifestiorem hanc rem fecit in lib. 3. epidem. dicens: Et pu- comm. 3. text. 1.
,, tredo omnis ex materia quidem gignit humida, ex causa vero effi-
,, ciente, extraneo & pręter naturam calore. Sed quid Galeni testimonio egemus, cum omnibus medicis manifestissimum, atq. apud ipsos obseruatissimum sit, carentia humiditate non putrescere, quamquam corrumpi quęant. Carnes etenim aceto, saleque imputres ob id seruari per multum tempus, quod minus ob hęc humidæ reddantur, cuilibet nostrum notum est. Hinc colligam solum humida putrescere posse, minimeque sicca. GVILAND. Recte sanè dixisses, si actu quæ sunt humida & sicca intellexeris, cùm fieri nequeat, ut aliquod putrescat, quod omnino siccum actu deprehendatur, necesse enim ei esse aliquam humiditatem, in quam putredo accendatur. Nihilominus possunt multa putrescere actu humida, quę sicca etiam sint potestate, veluti vinum putrescit, flaua, atraque bilis, potestate omnia sicca. Biliosæ enim febres, inflammationesque erisipelatodes flauam bilem putrescere significant. Humida uero actu, atque potestate facilius putrescunt, ut sanguis, lac, & alia multa. Difficiliusque aliquo modo sicca, & impossibile est actu potestateq. sicca posse putrescere. Hæcq. sufficient de pręcipuis causis ad putrefactionem concurrentibus. Demonstratumq. est putredinis causam effectricem esse calorem extraneum, & materialem, & omnia quę actu habent humiditatem aliquam, facillimeque putrescere actu & potestate humida, ut sanguis, difficulterque sicca potestate, & humida actu, vt bilis, minime vero omnium putrescere actu, & potestate sicca, vt ossa. Ab his igitur discam, putredinem pestis Barbaricę regionis habitantium esse vehementiorem, intensioremque ea, quę è Syrię locis

erum-

erumpit. Apud me enim constat priorum hominum corpora calidi siccique esse temperamenti, vt indicare satis aperte videtur habitus ipsorum omnium fere corporum squalidus, gracillimus, durus, ac nigri, exustiq. coloris: Grecorum vero, atq. Syriorum corpora calida & humida existunt, temperata, multique sanguinis, & habitus carnosi moderateq; pinguis, floridiq; non minus coloris. Ideo hæc ob humiditatem facillima sunt, vt putrescant, & illa ob siccitatem ad putrescendum difficillima. Quæ cum ita intense ac excellenter putrescant, putredinis intensiorem gradum, lapsus à suo naturali statu, certe explicat, qui in ijs maximus est. Nam sicca omnia corpora non ex quauis causa facile, vt humida, putrescunt, sed ex præualidissima causa, qua necessario præualidam putredinem illam etiam iudicabimus. Hinc hyeme atque in senibus febres exortas maiores ijs, quæ in æstate, atque in iuuenibus fiunt, affirmamus. quod ijs magnus lapsus obseruatur, qui illarum esse præualidas causas explicet. Barbarica itaq. corpora sicca ac squalida, peste correpta, necesse est affirmare, ex magno in ipsis lapsu obseruato, causas putredinis habuisse præualidas: & consequenter putredinem factam intensiorem ac excellentiorem illa, quę in temperatis corporibus (qualia sunt Græcorum, & Syrorum.) fit. in illis enim ad putredinem ob siccitatem magnus, & in his ob humiditatem paruus lapsus obseruatur. in quibus paruas ad putrefactionem, & in illis præualidas concurrisse causas dicendum erit, ut in febre æstatis, & hyemis. in hac enim ad concitandam febrem præualida causa est necessaria, veluti æstate quam facile ex qualibet causa homines in febres incurrunt. Quam prealidam causam putrefacientem corpora Barbarorū, pre squalore ac siccitate ad putrescendum valde inepta, necessario esse calorem extraneum in ijs corporibus susceptum existimo: si enim prauo victu ipsi vterentur, suspitio esset de intensissimo ambientis calore, ut ab ipso ita excellentem susciperent putredinem, veluti apud Athenienses olim ortam fuisse pestilentiā ex Gal. nuper dictum est. Cæterum vel ab aere, vel ab aliqua alia causa hic externus naturali contrarius calor ea corpora putrefaciens, accedat, obscura non est causa, cur illi ita intensius ab ea putrescant. Quando iam priori causæ, (quam ego omnino ignoro.) alia coniungatur, quę cur in illis corporibus intensiores illæ generentur putredines, declarat. Namque omnibus manifestum est, humores

omnes,

omnes, partesq; corporis proprio calore destitutas, ab alieno vel extraneo computrescere. vt Gal. docuit in lib. 4. de simp. med. facult. atque, ut nuper quoque dictum est, hmores naturali ac proprio suo calore destitutos ac priuatos, putredinis expertes seruari non posse, sed necessario putrescere. quo fit, vt qui humores magis suo calore destituantur, & qui minus, maiorem, atque minorem necessario subeant putrefactionem. Cur igitur ijs probè auditis cur Barbarica corpora sub continuo calidissimo cœlo degentia, tam intensam contrahant putredinem, admirabimur? quando maximus continuusque, quod semper experiuntur, calor absque aliqua refrigeratione, illorum corporum naturalem calorem dissipet, & dissoluat, ipsaq; corpora extraneo ad putrescendũ agenti subijciat, atque etiam cum frigore careant, non diffletur, ac refrigeretur. Aer enim summe calidus, continuè marcescit, pessimusq; fit, atq; corporũ calorem innatum corrumpit ac dissoluit. quo dissoluto intensissimas fieri putredines non est mirum, atque ab his pestiferos morbos, qui caloris adiumento, & latius expanduntur, & acutiores sæuioresque euadunt, non secus quàm dicunt medici, uenenorum calidiora magis, & minus calida, minus ad nocendum esse efficacia. Hincq; colligunt multi, in locis sub frigidiori cœlo positis homines mitiorem pestilentiam pati, ut in Boemia, Germania, Polonia, & alijs frigidioribus orbis plagis obseruatum est. ibi etenim pestilentiam mitissimam, ac ipsis admodum domesticam patiuntur. Cum igitur Barbari ex continuo immodicoq; cœli calore (summa enim calida regio est Barbaria) naturali calore imbecilli, ac pauco fruantur, mirum non est si ipsorum corpora excellentissimas suscipiunt putredines, & Greci & Syri temperatiori cœlo utentes, si multum innatũ habentes calorem non ita intensas excipiunt putrefactiones, quoniam apud ipsos calor extraneus debilis est, & insitus multus, ueluti apud Barbaros insitus paucus, & extraneus multus. mirumque ob id non est, si Barbarorum corporum peste infectorum putredo sit prestantior ea, quam Greci, Syrijq; patiuntur. & eius non minus contagium apud hos minus excellens sit, ad hominesque inficiendos præpotentius apud illos, excellentius, acutius, prealidiusque. atque hæc de uehementia pestilentis illorum putredinis, contagij fortitudine, ac imbecillitate, ex efficientis causę ratione indagata dicere volui. Nunc vero de eadem re ex materię putrescentis occasione

differa-

differamus; Nam multa existunt, à materia, quæ ibi putrescit, cognita, quæ eam pestiferi contagij præstantiam maiorem & minorem confirmant. Siquidem corporum humores ibi putrescentes maiori ex parte, cœli utique ratione biliosi, atque exusti existunt, qui quanto sunt ad putrescendum difficiliores, eo putrefacti intensiorem acutioremque putredinem excipiunt. Quod quidem clarissime significãt symptomata, ac morbi ex putrefacta bile, ac atrabile, vel exustis humoribus orta. quæ omnia acutissima, vehementissima, atque horrendissima existunt, vt medicis praxim exercentibus notissimum est. In febribus à putredine biliosorum exustorumq; humorum ortis, sæuissima symptomata, ac horrendissima obseruari, quæ ægrotos male habent, citissimeq; aliquando interrimant, cuiq; planè clarum est. Accedit quod putredo in sicca materia suscepta, longe illa, quæ in humida accenditur, acutior, atque diuturnior existit, ut cognoscere possumus in omnibus formis arte factis tum in sicca, tum in humida materia receptis, in hac enim quæ excepta sunt facile corrumpuntur, atque citò delentur, in illa, maxima difficultate, atq; longo tempore. Cui enim ignotum est, figuram in ceram facile imprimi, atq; facile corrumpi, ac deleri, in ferro & lapide quàm difficillime, & tardissime? Non videtur itaq; à veritate alienum affirmare, contagium pestis Barbariæ in corporum humores sicciores accensæ acutius, excellentius, diuturnius, Græco ac Syriaco, quod à putredine promanat in corporum humores humidiores, (quando hæc corpora calida & humida, & illa calida & sicca existant.) esse iudicandum, ideoque in Aegypto ex Barbaria aduectum, vehementius incolas peruadere, atque ipsos atrociter depasci, diutiusque quàm alibi vigere atque perseuerare, insignemque ibi hominum stragem inducere. Hasq; puto causas, cur pestiferum contagium ex Barbariæ locis peste infectis illuc asportatum, citius plurimos homines inuadat, quàm ex Græciæ Syrięque locis profecto, atque diutius ibi uiuat, atrociusq. eam gentem feriat, atque perdat. His auditis, audiendum etiam est tempus, quo ibi pestis manifestatur, & non minus cognoscendum est, quanto tempore duret, quando audierim, Iunio mense Sole ęstiuum tropicum permeante, omnem pestilentiã ibi consumi, atq. aboleri. Ideo istud mihi nunc narrare non te pigeat. ALPIN. Libentissime à te nunc expetita, dicam. atq; nunc, ne tempus frustra conteramus, etiam loqui incipiam.

Quo

Quo tempore peſtis loca Aegyptia inuadere ſoleat, & quo tempore ipſa deſinat. Cap. XVII.

ALPINVS.

PESTIS Cayri, atque in omnibus locis Aegypti inuadere eos populos ſolet ineunte Septembri menſe, vſque ad Iunium, his enim omnibus menſibus à Septembri ad Iuniũ vſque peſtis aliunde per contagium illuc aſportata, eam gentem inuadere ſolet. Quæ primis in his menſibus accedit omnium eſt ſæuiſſima, maximeque ſi à Barbariæ locis proficiſcatur, uniuerſam etenim ipſa illam urbem aſpere depaſcitur, multos, propemodumq; infinitos mortales perdit. Minus ſęua eſt, quo tardior illuc acceſsit, videriq. incipit, ita ut quo tardius uenerit, eo mitior ac breuior ſit iudicanda: quoniam cum anguſtum habeat temporis ſpacium, quo ſerpere per populum poſsit, nequit omnes ſuas in homines illos vires oſtendere. Iunio vero menſe, qualiſcumq. & quantacumq. ſit ibi peſtilentia, Sole primam Cancri partem ingrediente, omnino tollitur, quod multis planè diuinum eſſe non immerito videtur. Sed quod etiam ualde mirabile creditur, omnia ſupellectilia peſtifero contagio infecta tunc nullum contagij effectum in eam gentem edunt, ita, ut tunc ea vrbs in tutiſsimo ac tranquiliſsimo ſtatu reducatur, ex ſumme morboſo. atq. morbi particulares ſporadici à Grecis uocati, tũc apparere incipiunt, qui nuſquam gentium tempore peſtis apparebant. GVILAND. Sed nunquid alijs tribus ſequentibus menſibus peſtis illuc profecta populum illum corripiat, atque quam ob cauſam omnis peſtilentia menſe Iunio abigatur, atque omnino deſinat, libenter etiam nunc ex te audirem. ALPIN. Iunio, Iulio & Auguſto menſe nunquam vt Aegyptij affirmant, uiſa eſt peſtis illuc ex infectis locis profecta, quę eos populos inuaſerit. Quam uero ob cauſam ab Aegypto illo menſe omnis peſtilentia, quantacumque & qualiſcumque ſit, tollatur, nunc uenari ac indagari conabor. Arduam ſanè ac difficillimam hanc cognitionem eſſe exiſtimo, proinde non ita facile à me excogitata cauſa proferenda eſt, ſed prius ipſam ueritatem comparare, ac rectè contemplari debeo, & mox in lucem proferre. GVILAND. Sapienter iſtuc illo pacto facies, ſed quoniam tandiu ibi cum ea gente uerſatus es, non dubito illiuſce effectus ueram ac

certam

certam causam te ab ijs accepisse, atque didicisse, uel teipsum ratione atque euentibus indagasse. Cupio igitur te nunc de his audire.

Qua causa Cayri qualiscunq; pestilentia sit, mense Junio omnino tollatur. Cap. XVIII.

ALPINVS.

NIHIL est, neque fit aliquid eo in mense, scilicet Iunio, quod vrbem à pestifero morbo infectam in salubrem statum mutare dignoscatur, Nili fluminis excepto augmento, quod ipsum constantissime die septimadecima mensis Iunij, aeris illiusce temporis mutatione ab immodico caloris æstu inęqualissimo, ab Austrinis, Eurisque uentis, ut nuper dictum est concitato, ad aerem minus calidum, sed ęqualem, & continuum, siue ab Austrina morbosa constitutione in Septentrionalem salubrem facta. Namque aer tribus fere mensibus ante æstiuum Solstitium, quo tempore vniuersum pestis contagium absumitur, interruptè calidissimus, fereque suffocans animalia, ex Austrinis, Eurisq; uentis interruptè, ut superius sedulo narratum est, calidissimum spirantibus, obseruatur, inæqualissimusq. etiam, quia ij venti nondiu perseuerant, sed paucis quibusdam tantum diebus, plerumq. tribus spirare soleant, & mox desinere, a quibus subitò venti alij perflant, admodum corpora refrigerantes. Atque ab his paucis post diebus rursum summe calidi redeant, aeremq; non parum ab alijs refrigeratum ad immodicum calorem confertim mutant. Quamobrem aer calidissimus, ęstuosissimus, inęqualissimus, pessimusq; ijs tribus mensibus ingruit, & qui ipsum itidem sequitur, accedente Solstitio ęstiuo, etsi ualde & ipse calidus sit, est tamen continue ęqualis, uniformis, non confertim, sed sensim ac sensim mutationes, quę cœli ratione fiunt, inferens. Accedit etiam per id tempus Septentrionalium uentorum, quos nostri Etesias appellant, spiratio. Incipiunt etenim Sole signum cancri ingrediente, è Septemtrione ij uenti spirare. qui totis Iulio, Augusto mensibus constanter, placidissimeq; perflant, & toto fere Iunio mense Campsinis uentis absorptis, ijdem Septentrionales uēti orti, con-

stanter

ſtanter ſpirare incipiunt, hiqne proculdubio exiſtunt, quos Gal. alijq. Prodromos uocant. Hęcq. per id temporis incipiunt obſeruari, à quibus fortaſsè non immeritò cauſam extinctionis peſtis, morboſiqúe in ſalubrem ſtatum mutationis pendere arbitror, quando nulla alia ex conſeruatricibus cauſis, quas vulgus medicorum res non naturales appellat, aere excepto, ibi eo tempore appareat, in quam morboſi ſtatus inſalubrem mutationem referre poſſimus. Ideo neceſſarium erit, huiuſce mutationis cauſam aeris mutationi acceptam referre: & quoniam tunc aer mutatur ab æſtuante calore, inæquali, in minus calidum, & æqualem, atq; continuum, mirum non erit, ſi, quemadmodum prius aere à Campſinis uentis, calore ſuffocante, atq. inęqualiſſimo, quippè modo calidiſſimo, modo frigido effecto, ac vigente, morboſus ſtatus obſeruabatur, ita eodem in minus calidum, atq; inęqualem, & continuũ mutato, etiam morboſum ſtatum in ſalubrem mutari, non immeritò dicendum erit. Corpora enim in hoc aeris ſtatu valde calido, continuo, ac omnino æquali, ſemper calfaciente, difflantur, aperiuntur, euacuantur atque exſiccantur. Nam quiſq ue per id temporis ſępiſſime per diem largiſſime exudat, quo fit, vt peſtiferum etiam contagium ab aeris inſigni & aſſiduo calore exolui, atq. diſſipari non iniuria ſit credendum. A Nili fluminis facto augmento, aerem in hunc ſtatum mutari poſſe aliquibus forſitan videbitur, quod eodem tempore, ſcilicet Sole Solſtitium tenente (cùm annis ſingulis flumen creſcere incipiat die decimaſeptima menſis Iunij) conſtantiſſime obſeruetur, hunc aeris ſalubrem ſtatum uagari. Quod ſanè ita non eſſe oſtendit illo tempore, quo ibi omne peſtilens contagium abſumitur, Nili incremẽtum obſcuriſſimum, ac pauciſſimum eſſe, ex quo aer non poterit vſque adeo alterari, ac à priori ſtatu mutari, qui poſſit morboſum eius ſtatum corrigere, aut omnino tollere. Itaque illiuſce fluminis incrementum eſſe in cauſa vt peſtilentia illa deſinat, non erit credendum, quando alio tempore euaneſcit peſtis, & alio flumen ſuum ſuſcipiat augmentum, quod aerem multum alterare queat. Peſtis extinctio nihilominus coincidit cum fluminis augmenti principio, ſed quia incrementi initia tenuia ſatis ſunt, atq. ita obſcura, ut uix ab omnibus dignoſcatur, per id temporis inceptam eſſe illiuſce auctionem ita, ut uel nihil, uel parum aer pręſentis eius temporis, à priori ſtatu mutatus ſit. quomodo itaque aer vel nihil, vel paruiſſime mutatus

tantam vim habere potuerit, qui possit mutare statum pestilentem in saluberrimum? certè nemo hoc affirmare audebit, nisi dixerit etiam tolli pestilens contagium ab oculta aliqua causa, ueluti principium quoque augmenti fluminis illius per singulos annos, eodē mense, die, & hora cōstantissime ac semper obseruatum, ab eadem oculta causa pendere multi non immeritò affirmant, quando huius perpetuo incipientis augmenti causam posse naturę principijs indagari, ac uere cognosci, nullo modo posse fieri mihi uideatur. Hincq; ancipites nos nō immeritò fieri, quod Nili aquę illud augmentum ex pluuijs Aethiopum principium habeat, quoniam nullibi pluuiæ semper fieri incipiunt eadem tum die, tum hora, ut possint eadem die semper flumen aliquod augere, quod si uerum esset, utique dubitare omnes possent, causam generationis pluuiarum, in aeris temperiem inconstantissimam referri debere. Quare non videtur verum esse, pestis illam dissolutionem tempore eodem, quo flumen augeri incipit obseruatam, posse a Nili augmento causam habere. An uero ipsa referri possit in Etesiarum spirationem, quando hi venti tunc spirare incipiant, placidissimeque per totam estatem continuent? Sed non desunt aliqui, qui ventos (quod ipsi incipiant accedente Solstitio cancri,) esse Etesias denegent. Namq; omnes, qui de his scripsere, eos flare incipere à canis sideris ortu affirmant, vt Gal. in lib. de caus. procatarct. atq; in 1. epidem. memoriæ prodidit. De his uero Plinius in 2. lib. Nat. hist. scripsit, ita dicens: Ardentissimo autem estatis tempore exoritur Caniculæ sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui xv. ante Augusti Calen. est. huius exortum diebus octo ferme Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. Post biduum autem exortus, ijdem aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos Etesias uocant. Cum igitur Cayri hi venti constanter flare incipiant sub Solstitio estiuo, non poterimus statuere eos esse Etesias. GVILAND. Non ob id tamen ita facile negandum erit, quod Cayri venti illi solitum tempus, quo in Italia Etesias flare multi scripsere, antecedant, ferè per mensem non esse Etesias, quando alia eorum uentorum signa obseruentur. Nam ex Septentrione ipsi spirant, constanterq; flant diebus quadraginta, & multo pluribus etiam, non asperique, sed summe placide spirant, dieq; ab ortu solis incipientes auram frigidiusculam efficientes, quæ omnia tales uentos denotant. Quam uero ob causam ibi

cap. 1. comm. 1.

inci-

incipiant ſub Solſtitio eſtiuo, & Italiæ in locis eo tantum Solſtitio peracto ab ortu caniculę per aliquot dies, ibiq; longiori quoque tempore, quàm hic obſeruetur, ſpirent, non eſt noſtrum nunc conſiderare, ac contemplari. Neque planè veram eſſe Ariſtotelis ſententiam in lib. 2. meteororum literis traditam, hinc dubitari poſſet, quando is dixerit, à reuerſione Solis à Solſtitio Cancri, dum Leonem ingreditur, Septentrioni multo calore communicato, ab eoq; eorum locorum niuibus glacieq; liquatis, flatus inde excitari, à quibus Eteſiæ ortum habuerint. Quando in Aegypto Sole ad tropicum accedente, Eteſiæ fiant. Quod ſi ita eſſet, proculdubio aut eodem tempore, tum in Italia, tum in Aegypto obſeruarentur, aut prius in Italia ſentirentur, quàm ad Aegyptum peruenisſent. Sed cum prius ibi conſpiciantur, dicendum erit ab eadem effectrice cauſa ab Ariſtotele ſignificata, ſcilicet calore, eos ventos naſci, ſed non à liquatis niuibus, glacieq. locorum Septentrionalium, ſed Grecię aliorumq; Aſiæ minoris, quę ſunt Aegyto proxima, quæ habent excelſos montes, à quibus niues calore liquatę halitus Aegyptijs locis mandantes, illos profectò uentos efficiunt. Non puto igitur ab re nunc ex te dictum eſſe, illos uentos incipientes flare in Aegypto, Sole Cancrum ingrediente, & perdurantes fere toto menſe Auguſto, eſſe Eteſias. Tu modo perge ad inceptę reliquum orationis. ALPIN. Ab his igitur ventis aerem alteratum, eſſe cauſam cur peſtis illa diſſoluatur, multi illorum affirmāt. Quod etiam non videtur penitus à ueritate alienum, quando id multis etiam rationibus nobis perſuaderi poſſit, in primisque ex contrariorum naturę ratione, namque nulli dubium eſt, auſtrinos eos uentos, quos diximus ab ijs populis Campſim nuncupari, natura ac qualitate opponi Septentrionalibus Eteſijs vocatis: Quod cum verum ſit, non erit mirum, diuerſum planeq; contrarium ſtatum, cum Eteſij ventis dominātur, aerem habere, ab eo, qui Campſinis oppoſitis ſpirantibus prius obſeruabatur. Ideo ſi his vigentibus in aere ſtatus aeris fuerat morboſus, proculdubio ipſis abſorptis, Eteſijsq; oppoſitis flare incipientibus, cōſtanterq; flantibus, in oppoſitum, qui eſt ſalubris, ipſum mutari debere affirmandum erit. Accedit natura Eteſiarum, quæ aduerſatur peſtilentibus conſtitutionibus, quemadmodum auſtrina putrefactionibus fauere, obſeruatur. quod Gal. in primo lib. de temp. ita ſcriptum cap. 4.
» reliquit. Deprehendas ex Borea, qui ſiccus natura & frigidus uen-

,, tus est, omnia, quamdiutissime imputria durare, contra putrescere facillime austrino flatu. Amplius particulatim Gal. hos ventos aeri salubritatem inducere in multis locis nos docuit. in lib. enim 3. epidem. dixit: Si Etesiæ in ęstate fiant, multa mala prohibere, quę ijs non flantibus fierent, ideo de pestilenti statu inquit: Quo ,, tempore si Etesię spirassent, morbosum humani corporis statum ,, omnem absterfissent. Aestatem Etesijs carentem admodum morbosam esse pluribus in locis scriptum reliquit. Et proinde Hipp. ,, ęstatem pestilentis naturę describens, ait: Aestus serena erat & calida, magni erant ęstus. Etesiæ paruę dispersim spirarunt. Ex his igitur dicere possumus illiusce pestis abolitionem uel extinctionem ab Etesijs tunc flare incipientibus, aeremq; in oppositam temperiem mutantibus, non paruam occasionem, vel causam habere posse. Dicunt etiam multi, quod calor ęstatis immoderatus diu durans, absque quod contrario aliquo frigido vento diffletur, ac ventiletur, non poterit diu seruari quin corrumpatur uel putrescat, veneficamq; acquiret qualitatem. Non posse uero pestem illam extingni atque deleri ab Etesiarum spiratione hinc etiam dubitari potest, quod pestis in multis locis, quamquam Etesię valde spirarint, non fuerit extincta. vt in peste anni 1575. Patauij obseruatum est. Itaque cum ex nuperrime dictis de his dubius non parum hac eadem de re sim, obsecro ne te pigeat, de causis, quibus illam apud Aegyptios pestilentiam deleri putas, tuam sententiam proferre. GVILAND. Pestilens contagium totum per illud temporis perpetuo annis singulis extingui, scilicet mense Iunio cum Sol primam cancri partem ingreditur, id ex aeris mutatione accidere mihi videtur, quando nulla aliarum sanitatem conseruantium causarum obseruetur ibi esse, quę id facere queat. Aerem uero ipsum ex morboso statu in salubrem mutari tunc, temporis ex particulari temperie suscepta, alienum esse à ueritate non iudico. Is etenim, uti ex te audiui, eo tempore fit priori minus calidus, quamquam ualde & ipse calidus sit, sed continuus, æqualis, eodemq; modo perpetuo constans, qui si quas suscipit alterationes ac mutationes, illas nõ confertim, sed sensim ac sensim recipit: Quo sanè tempore ab ipso corpora (cum remiserit calor ille æstuosus à Campsinis ventis euectus, suffocans, melius se habent, cumq; calorem facilius ac melius perferunt. quoniam is tunc habet calorem à cœlo, cui illa corpora iam assueta sunt, in ipsoque

3. epid. comm. 3. text. 71.

nata,

nata, non autem à uentris, ueluti antea fuerat, aduenã temperiem ipsorum aeri inducentibus. Hincq; æqualis & constans fit, quod à uentis mutationem nullam suscipiat. Illo itaque aere tunc multum calfaciente, atque perpetuo eodem modo perseuerante, corpora ipsorum admodum exudant, aperiuntur, atque siccantur. quibus tum in ipsis corporibus, tum in uestibus, alijsque omnibus suppellectilibus, omnis excrementitia humiditas dissoluitur, atq; consumitur, eaque maxime, in qua pestilens illud contagium fundatur, atque ab ipsa fouetur. A uehementi aeris caliditate omne contagium dissolui posse, uel omnes mulierculæ sciunt, quę laneos pãnos, cęteraq; domorũ suppellectilia quouis contagio infecta, per multos dies Soli, ut ab his contagij omnem suspictionem abigent, exponunt, neque longa experientia, ut cognitum est, sua spe unquam frustrantur, reddentes hęc omnia ab omni contagio munda, ac libera. Atque hinc mirum utique non est, si hi populi infecti pestifero contagio, aeri summe calido, ęquali, corpora multum diffiantí, aperienti, tum per insensibilem trãspirationem, tum per copiosum, assiduumque sudorem euacuanti, & exiccanti expositi, ab eo liberi fiant. Certum enim est, ac apud omnes ibi obseruatissimum, omnia corpora per id temporis summe diffiari, sudoribusque assiduis, copiosisque, ac insensibili transpiratione exiccari. Quę quantum conducant ad abigendam è corporibus omnem putredinem, neminem medicorum ignorare certò scio, qui tamen in Gal. scriptis sit uersatus. Namque is in 1. lib. de diff. feb. cap. 4. hos duos esse præcipuos scopos ad præseruanda corpora à pestilentia dixerat, his verbis: Erat autem eorum summa, vt ostendit idem Hippocr. ipsa putrefactio. quod cum nos præuidissemus statim ab initio, quæcunque corpora humida videbamus, omni via exsiccare conabamur. quæ vero sicciora, in ijs antiquum habitum conseruabamus. at in quibus superfluitates redundabant, hæc purgationibus sanabamus: Obstructiones autem foraminum aperire, atque abstergere studebamus. Pauloq; post dixit: vna siquidem ac prima est in omnibus communis intentio, quod corpus quam maxime superfluitatibus vacet, atque optime spiret. Quamobrem, quod ea aeris temperies admodum, corpora exiccet, atque diffiet, existimo non immeritò fore putandum, inde absumi eam pestilentiam, eiusque omne contagium, exiccato scilicet uel dissoluto ab eo calore aeris humido in pannis, & omni suppellectili

neste, qua putredo, eiusque contagium fouebatur, atque ijs corporibus euacuatis, exiccatisve, atque difflatis. ALPIN. Hæc veritas videtur non parum obscura, ac dubia, cum in prima æstate, vel æstatis parte, in qua sum mã vigere pestilentiam diximus, oporteret etiam eandem corporum vigere salubritatem, quando aeris tunc summa caliditas queat & ipsa omnem contagij humiditatem à pannis, cæterisque alijs suppellectilibus consumere ac resoluere, non minusque illorum corpora, tum per sudorem copiosum, tum per insensibilem euacuationem exiccare, atque difflare. GVILAND. Intelligere arbitror ex his, vnde tibi orta sit hęc difficultas, respondeoque, aerem primæ ęstatis partis etsi calidissimus sit, ea utique efficere non posse, tum prę immoderata caliditate ferè animalia suffocante, tum præ eius inęqualitate, namque vt dixi, postquam ęstuantissimi Campsini flarint, subito oppositi validissime spirare solent, frigidi, quibus neque contagij humiditas consumi potest, cum calor diu non perseueret, neque corpora exiccentur, neque difflentur ob eandem causam. Calor etenim eius prioris status non est aptus, vt putredinem deleat, sed potius ipsam concitet, quando ab eo natiuus calor summe labefactetur, ac exoluatur. Nam corpora superfluitatibus scatentia, ad hoc, vt à putredine ipsa vendicari possint, non solum exiccatione, quæ fieri potest ibi præ intenso calore molita euacuatione vel per sudorem, uel per halitus, opus habent, verum non minus difflatione atque naturalis spiritus, calorisve restauratione, aliter calor natiuus dissipabitur: in aere uero immoderate calido corpora euacuationibus exiccari possunt, & difflari, sed non restaurari vitales spiritus, qui sola refrigeratione, quę fit frigidi aeris inspiratione, nutriuntur, fouentur, atque restaurantur. Hincq; secundę æstatis assiduus calor calidus, continuus, ęqualis ac vniformis poterit corpora exiccare, ipsorumque meatus aperire, atque Etesijs simul frigidum temperatum spirantibus toto illo tempore, corporum etiam vitalis spiritus poterunt restaurari, ac foueri. Nili uero augmentum eodem tempore inceptum posse huic aeris salubritati conducere, planè ignoro. quod tunc & obscurissimum sit, atque etiam, quia potius humiditate, quàm siccitate aerem refert, atque alterat, quæ aeris qualitas omnino inutilis ad tollendam putredinem, cognoscitur, quando potius omnem putrefactionem pro causa in qua fit, humiditatem habere omnes nouerint. Hæc idonea iudicaui, quæ

propo-

propositam dubitationem probè soluere potuerint, quippe Iunio mense omnem pestilentiam, eiusque omne contagium aboleri ex aeris temperie calida, æquali, uniformi, atq; continua, Etesiarumque spiratione, quibus corpora, tum per sudorem, tum per insensibilem transpirationem exsicantur, difflantur, atque refrigerantur. & hęc de peste loca Aegypti inuadente sufficiant. tuq; perge alia enarrare. ALPIN. Omnia iam vna die, quę in ipsa dicenda proposueramus, peracta vides, essetq; ad alia transeundum. Sed quia nos Solem sub horizontem descendere perspicimus, in aliam diem alijs de rebus sermonem differamus, ad ipsorum autem medicinam mane accedemus. Domum itaque eo, atque huc mane Deo annuente reuertar. Quidq; tunc præcise sit dicendum, simul terminabimus. Vale. GVILAND. Vale & tu dum huc etiam veneris. Diluculoq; in viridario me conferam, atq; te, vsq; dum redeas expectabo.

FINIS PRIMI LIBRI.